Ludiomæi Colvini

DE FIDEI PARTIBUS IN JUSTIFICATIONE

Dissertatio.

In qua modestè expenduntur, quæ Clar. Vir. *Cyrus Molinæus* profert, ut sententiam, vulgò Orthodoxam habitam, tueatur.

LONDINI,
Typis *Abrahami Miller*.
1653.

1401:00

Ampliſſimo & Doctiſſimo

Dno Dno

JOHANNI

SADLERO

Viro Conſulari, &

Academiæ

CANTABRIGIENSIS

Illuſtri ornamento

Author. S.

HÆc Opella, Clariſſime Vir, ultro & merito ſub tuo patrocinio, & nomine

mine apparet ; cum Authoris cauſa, quem maximis in eum meritis, tibi devinxiſti, immo pene mancipaſti ; tum Diſſertatione ipsâ, quæ in ſumma rei, ni fallor, cum tuis ſenſibus concordat ; eſtque tui Iudicij, juxta ac Fori: nam, cui clarior eſt intellectus quæſtionis forenſis, quam illi, qui Ius dicit, & de Iure reſpondet, & imbutus eſt penitiori

nitiori cognitione Divini, humanique Iuris? nec eâ contentus, omnes propemodum linguas Europæas, & Orientales, Disciplinasq; universas, mente ac memoriâ complexus est: cujus ingenium tantum abest, ut consepto fori, aut claustris Scholæ concludatur, ut ne ipsis naturæ finibus terminetur: ut qui animo foras emineas

contemplatione Cœleſtium & Sublimium, in quo tamen excelſo, ad exemplum Dei, etiam ad afflictum & jacentem reſpicis; cui ſic manum porrigis, ut eleemoſynis tuis pompam detrahas; magis delectans benefacere quam benefeciſſe videri: ita enim pari librâ partes viri Pii, Conſularis, docti, & amici imples, ut nihil Ingenij

genij magnitudini & acumini, notitia linguarum & rerum particularium; nihil facilitati & obviæ humanitati, severitas Senatoria detrahat: nec inflatus es honore, ut non retineas in florenti fortuna comitatem omnium occursibus expositam ac paratam, aut dedigneris ad tenuiores descendere: nam & id inter publicas curas

computas, neceſſitatibus privatorum inſervire: quin tibi ſolenne eſt, exigendi verecundiam tollere, ac pudorem ſublevare, demerendo, antequam rogeris: neque etiam varietate, & multitudine negotiorum ac officiorum, quibus alii obruuntur, fractus es; ſed in medio æſtu rerum civilium, ſurripis aliquot horas ſtudiis; quæ

ne

ne ſeneſcant, aut retro abeant; neve ſublatis ſtudiorum præmiis, ſtudia ipſa pereant, omni contentione adniteris; unde literis, cum humaniioribus, tum maxime ſacris, ſacrique ordinis viris, ſuus honos, ſuaque ſeorſim ſtatio conſtet. Quid? quod raiâ ſocietate in flore juventæ, habes ſenilem prudentiam, & honores ita geris ut

ornamentum non accipere, ſed dare ipſi dignitati videaris: ut taceam æquabilitatem tuam, ut cunctæ vitæ officiis, ſic in jure, ſeu dando, ſeu dicendo, uſque adeo, ut omnem admirationem ſuperet, quî; vir, ut ut, non minus Iuſtitiæ quam Iuris Conſultus, ac recti pervicax, in comunere amorem omnium conſequatur, in quo odi-

um

um vitare difficile eſt? Hæc gratiæ non damus, ſed liquidæ veritati; quam potius, maximam partem, præ verecundia præmimus, ſecuti exemplum ſolertis Pictoris, qui velo inumbrabat, quod penicillo, aut exprimere deſperabat, aut attrectare non audebat.

Index

Index Capitum.

I. Cauſæ errandi in hac materia. p. 1.

II. De actibus Fidei. 22.

III. Explicatio aliquot locorum, quæ de Juſtificationis agunt. 29.

IV. De actibus Dei Juſtificantis. 39.

V. De concurſu actuum. 66.

VI. Hominem peccatorem & impium, non verò fidelem

delem & credentem, esse objectum adæquatum Justificationis. 82.

VII. *Objectionibus respondetur.* 99.

VIII. *Testimonia Theologorum non infimæ notæ.* 114.

Erratum.

Pag. 29. lin. 18, 19. lege *fideles dimanantem.*

De

De Fidei partibus IN JUSTIFICATIONE.

CAP. I.

Cauſæ errandi in hac materia.

CUm doctrina de Juſtificatione, ſit ſalutis noſtræ ſumma, & præcipua animarum conſolatio; in eam tamen curam incubuit totis viribus Satan, ut Juſtitiæ Chriſti alteram ſubſti-

tueret fluxam & inſtabilem, quæ coram Dei tribunali non poſſet conſiſtere, qualem procuderunt Pontificii; atque inſuper inveniret aut faceret, qui diſpendio Divinæ Juſtitiæ in Juſtificatione tantum fidei tribuerent, ut eam, tum Electione priorem facerent, quod agunt Arminiani; tum antecedaneam Satisfactioni Chriſti ejuſq; morti aſſererent, ut docet Arminianiſmi interpolator *Amyraldus*: adeoque in hac doctrina pronus eſt in errorem lapſus, ut etiam Sanctorum Patrum nonnulli, ex occaſione malè intellectorum verborum, *fides juſtificat*, plus æquo fidei & juſtitiæ inhærenti tribuerint: quin & hodie magna pars virorum piorum & doctorum, in cæteris doctrinæ fidei articulis recta

recta ſentientium, videtur ſcripto & voce Juſtitiæ Chriſti cauſam aliam efficientem, quanquam minus principalem, adjungere; fidem nempe; quaſi ſola Juſtitia Chriſti non ſufficeret ad hominem juſtificandum in tribunali Dei, ni etiam fides in ſubſidium accederet.

In his eſt Clariſſimus vir *Cyrus Molinæus*, cujus ſenſa colligere licuit ex fragmento Epiſtolæ quam ad fratrem in Illuſtri Academia Oxonienſi Profeſſorem ſcribit: quam tamen controverſiam dicit ὁπλομαχίαν, aut potius λογομαχίαν eſſe meram, nec tanti eſſe ut ob eam plebs Chriſtiana debeat conturbari. Profectò, quanquam longe gravior controverſia foret, æquum eſſet hominem Chriſtianum ſic de fratre in

Chriſto ſentire, ut interim precetur Deum, & ſperet, fore ut aliquando eum ὁμόψυχον experiatur, quemadmodum Sanctus Paulus de Philippenſibus ſibi ſpondet, ſicque agere cum eo tanquam cum fratre germano chariſſimo, ſenſibus & ſententiis a ſe diſcrepante, quem omni animi & verborum moderatione, ad ſe pertrahere conatur.

Verùm totâ controverſiâ penitius perpenſâ, & ad lapidem lydium Sacræ Scripturæ examinatâ, a me non potui impetrare ut crederem controverſiam merè in verbis eſſe, ſed in rebus, tantique momenti, ut putem doctrinam Juſtificationis per fidem, qualem Author Epiſtolæ ſtatuit, vel ſuppeditare arma Pontificiis aut Arminianis;

nianis; vel, ſin minus, nec repugnat ſanæ doctrinæ, ſaltem tenebras offundere præcipuo fidei articulo, & laborare locutionibus rectæ rationi, & congruo ſermoni minimè conſonantibus.

Pertendit author Epiſtolæ, hominem dici proprie & ſine tropo Juſtificari per fidem, fidemq; eſſe de definitione juſtificationis, quatenus, homo credens, eſt objectum adæquatum Juſtificationis, deinde hominem habere fidem antequam juſtificetur.

At ego conſtanter aſſero, quando *Juſtificare* idem eſt quod *abſolvere, imputare Chriſti Juſtitiam; Juſtum reddere, & peccata remittere, juſtum declarare aut pronunciare extrà forum humanum*: &

quandocunque in Scriptura agitur de Juſtitia illa per quam coram Dei tribunali a Deo ſtatuimur & agnoſcimur juſti, & filii, ac hæredes vitæ æternæ; tum hominem nullo modo poſſe dici Juſtificari per fidem: Secundum quæ cenſemus, hominem Juſtificari antequam fidem habeat, & hominem fidelem, aut credentem non eſſe objectum adæquatum Juſtificationis; fidemq; nullas habere partes in definitione Juſtificationis, ſeu remiſſionis peccatorum.

Ubi verò Juſtificare ſignificat *Juſtitiam Chriſti revelare, indicare, notam facere, in notitiam perferre intellectus & conſcientiæ:* tum concedo fide & per fidem hominem juſtificari, quatenus per fidem homini innoteſcit

noteſcit, juſtitiam Chriſti ad ſe pertinere.

Etenim priori ſenſu non concipio quî per fidem homo juſtus reddatur, aut pronuncietur Juſtus coram tribunali Dei, ejuſque peccata remittantur: at ſecundo ſenſu facilis eſt & obvii intellectus dicere, per fidem, non quidem remiſſa eſſe peccata, ſed innoteſcere eſſe remiſſa.

1. Sanè ſi ſub aliis divinis actionibus lateret eadem vocis ambiguitas & homonymía, ut ſunt *Prædeſtinatio, Electio, Creatio, Redemptio, Adoptio, &c.* quæ eſt in actione Juſtificationis; perinde propriè diceretur nos electos eſſe per fidem, aut Mundum per fidem creatum fuiſſe, quia per fidem nos electos eſſe novimus, aut per fidem ſcimus

Mundum a Deo esse creatum: nam & Apostolus 2 *Thessal.* 2. *v.* 13. dicit nos electos per fidem veritatis, ex quo tamen loco, author Epistolæ, non astrueret fidem esse de definitione electionis, aut electionem per fidem fieri: quocirca etsi ubique τὸ *justificare* retineret eandem significationem quemadmodum *creare, eligere, adoptare,* non variant suam; non video quando Paulus dixit hominem justificari per fidem, per id, fidem magis ab eo præstrui Justificationi seu remissioni peccatorum, quam fides ab eodem fit causa electionis, aut minus incommodè dixisse nostra peccata remitti per fidem, quàm electionem per fidem peractam fuisse.

2. Causa erroris, non tantum

tum eſt in homonymia vocis *Juſtificandi*, ſed & vocabuli *fidei*, quod ſæpe, vel pro doctrina Evangelii, vel pro objecto fidei ſumitur : Sic cum Scriptura dicit Abrahamum fide Juſtificatum fuiſſe, planum eſt intellexiſſe, Abrahamum per Chriſtum objectum fidei, Juſtificatum fuiſſe, ut Calvinus & Rivetus interpretantur.

3. Alia cauſa erroris, quod promiſcuè homonyma faciant, quæ revera diverſiſſima ſunt: Sic cum Juſtificatio ſit actio individua, extra nos, quæ nos juſtos pronunciat propter Chriſtum, abſolvit & condonat peccata, ſitque Juſtitiæ imputatio : nihilominus perinde nomine Juſtificationis indigitant illum actum hominis internum, quo credit in Deum

&

& confidit obedientiam Chriſti a Deo ſibi imputari & donari. Sic cum Juſtificatio ſit ſententia Judicis gratioſa abſolvens obnoxium iræ, & reum mortis æternæ; nihilominus patefactionem iſtius gratioſæ ſententiæ per fidem factam conſcientiæ rei confundunt cum actione divina extra reum peracta; ſaltem ad Juſtificationem primo ſenſu acceptam referunt. Eſtque notatu dignum, quod Scriptura dicat quidem nos juſtificari per fidem; ac nunquam affirmet peccata remitti per fidem, quod tamen perinde eſſet ſi τὸ *Juſtificare* & τὸ *remittere peccata* ſemper in æqua ſignificatione ſtarent. Verùm, quandoquidem alterum propriè, alterum verò non niſi impropriè proferri poſſit, planum

num eſt τὸ *Juſtificare per fidem* (quando juſtificare idem eſt quod remittere peccata) æque impropriè proferri, ac τὸ *remittere peccata per fidem*: ac proinde locutionem *Juſtificare per fidem* ut proprie efferatur, aliud ſignificare debere quam *remittere peccata per fidem*, nempe per gratiam fidei peccatori notum facere eum per Chriſti juſtitiam juſtificatum, adeoq; remiſſa peccata.

4. Alia erroris cauſa, quod velint, actus remittendi peccata, & remiſſionem peccatorum apprehendendi, ſimul fieri, & perpetuò cohærere: ſed quæ perpetuò cohærent, nec eadem ſunt, nec alterum ſemper eſt de definitione alterius: nam iidem volunt Juſtificationem & ſanctificationem, perpetuò comites,

tes, cum tamen definitione planè diſcrepent, imo nec definitionis partibus ullo modo conveniant: Verùm poſterius videbitur actiones Dei remittentis peccata, & fidelis remiſſionem peccatorum apprehendentis, non eſſe perpetuò comites.

5. Eſt & hæc cauſa erroris, quod cauſa cur nobis innoteſcat & applicetur Juſtitia Chriſti, conſtituatur Juſtificationis cauſa efficiens, ſaltem inſtrumentalis & minus principalis. Quid? an applicatio Juſtitiæ Chriſti imputatæ nobis, & remiſſionis peccatorum, erit cauſa remiſſionis peccatorum & ſatisfactionis Chriſti, cum ne quidem requiratur fides ut pro nobis ſatisfaciat Chriſtus? nec refert quod fides requiratur ut

ſatiſ-

ſatisfactio illa nobis innoteſcat. An ſi Princeps diplomate damnatum capitis abſolvat, diploma minus ratum erit, quia dum exararetur, de eo reo nihil innotuerit? aut, an ut conſtet ratio ſententiæ Judicis, requiritur ut Judici fides apud reum ſit?

6. Nec minus erratur, quod plurima loca Scripturæ perperam accipiantur, & quæ perinde favent Pontificiorum & Arminianorum placitis, haud abſimilia illis quæ Epiſtolæ author ſuo fundamento præſtruxit, qualia ſunt illa, 1. *Sine fide neminem poſſe placere Deo*, adeoq; non poſſe quenquam juſtificari abſque fide, quæ eſt juſtificationis conditio prærequiſita. Eo telo Arminiani nos impetunt ut probent electionem eſſe

esse ex fide prævisa: pari vi qua citantur verba Galat. 2. commate 26. *Sumus filii Dei per fidem*; ergo sumus justificati per fidem: nempe sexcenta ejusmodi loca possunt in medium afferri; quibus in speciem fides, imo & sanctitas vitæ & pœnitentia statui videntur quid antecedaneum & causa electionis, adoptionis, justificationis & salutis; cum tamen fides sit tantum manifestatio, & patefactio, nos filios Dei esse, electos esse, & salutem consecuturos: nam quæso quid aliud sonat hæc phrasis, *sumus filii Dei per fidem*, quàm *per fidem sumus certi de adoptione nostra in filios?* Et cum Apostolus 2 *Thessal. cap.* 2. *v.* 13. dixit *nos electos esse per sanctificationem spiritus & fidem veritatis*, quænam

nam mens alia Sancti viri potuit esse, quàm regenerationem & illuminationem quâ credimus Evangelio, certa esse electionis nostræ κρίσεια: uti cum Petrus 1 *ep.* 1. *v.* 2. fideles in Ponto, Galatia, *&c.* per sanctificationem spiritus electos esse dixit, quid aliud innuit quàm quod S. Paulus? Cumque idem Paulus 1 *Thess.* 1. *v.* 3. ait se, de electione Thessalonicensium certum esse, quod eorum fides & charitas ipsi compertæ essent; quanto magis Thessalonicenses ipsi de se pronunciassent se per fidem electos, quia ipsi conscii erant de opere fidei & charitatis in cordibus accensarum; quin & perinde per fidem sibi remissa peccata; quia fides propria sibi de remissione peccatorum testimonium

nium perhiberet. Denique uti Paulus dicens fidem, electorum esse, non intellexit fidem esse causam electionis, aut hominem credentem esse objectum adæquatum electionis; ita ex æquo censendum est de fide respectu ad justificationem.

7. Sed præcipua causa erroris est, quod fidem quam vocant justificantem, diversum quid esse statuant a regeneratione, cum tamen fides electorum, non tantum conjuncta sit cum sanctitate in uno eodemq; subjecto, sed formaliter sit sanctitas nostra; non quidem integralis, sed partialis; quemadmodum spes & charitas, quæ ex æquo sunt fructus Spiritus, *Galat.* 5.22. 2. Pars mandatorum. 3. Quæ incrementa & decre-

decrementa habent, ut omni bono operi uſu venit. Per id erroris regeneratio ſtatuitur præcedere juſtificationem: nam ſi fides in Jeſum Chriſtum antecedat Juſtificationem, ſequitur, regenerationem, cujus fides præcipua eſt pars, etiam incedere ante juſtificationem. Contra probè agnito hoc errore, primum tantum locum tenebit fides in agmine trium gratiarum, in quo cœtu non eſt cenſendum Juſtificationem præcedere bona opera, ſequi fidem: cum enim fides ſpes & charitas ſint inſeparabiles, & Juſtificatio præcedat bona opera, Conſequens eſt ut & Juſtificatio præcedat fidem.

Qui ſic de fide ſtatuit facilius ſe expediet ex Arminianorum

rum manibus, plus gloriæ attribuet Dei Juſtitiæ, detrahendo fidei, quod Dei gratiæ glorioſæ & gloriæ gratioſæ tribubuat: nam libenter concedam Arminianis fidem eſſe opus & partem obedientiæ noſtræ; immo per eam fidem nos Juſtificari, ſed declarativè & quatenus fides nuntia eſt conſcientiæ, pacis & remiſſionis peccatorum; non verò formaliter fidem ad juſtitiam imputari, aut per habitum ſeu qualitatem inhærentem nos juſtificari, quod Arminianorum virus aut ulcus non attingimus ſed refugimus ut qui maximè.

Quod verò Scriptura fidem opponat bonis operibus, eaque ſeponat in Juſtificationis negotio, non mirum; ſiquidem, inter bona opera ſola fides εὐ-

ἀγγέλιον

ἀγγέλιον ad conſcientiam perferat noſtræ reconciliationis, 2. Applicet beneficia per Chriſtum parta. 3. Sola in Dei amore conquieſcat. 4. Radix ſit bonorum operum. Tum, quoniam ſæpe fides pro Evangelio ipſo, aut objecto fidei accipitur, non mirum, quocũque modo fides & Juſtificatio ſumantur, ſi Juſtificatione fides includatur; bona verò opera ſecludantur. Ad hæc, quanquam ipſa fides ſit bonum opus; attamen, fides & reliqua bona opera contrariis effectis diſtrahuntur, illa enim peccatorem in ſpem erigit remiſſionis peccatorum; at bona opera, vel caſtigatiſſima, peccatorem in terrorem conjiciunt, cum ſe ſuaque opera recognoſcit; tum demum enim de ſe eiſq;

eiſq; deſperat: auget oppoſitionem, quod fides nihil Deo det, ſed accipiat; at bona opera ſunt veluti ſacrificia εὐχαείστια: Hinc eſt quod Theologi nolint primum actum fidei quo recipit Chriſtum, juſtificare quatenus eſt opus, actio aut virtus, quia in eo actu ſe habet fides ad modum patientis & recipientis: Sed quænam ea ſit ratio entis per quam fides juſtificare & remittere peccata dicitur, nondum conſtat.

Nec omittendum, quod Scriptura ſæpè ut excitet in nobis gratiæ donum, tantum tribuat bonis operibus, fidei, & cognitioni noſtræ ſalvificæ, ut faciat eas cauſas, cur Deus nos compotes faciat regni Cœlorum, ſic cum 2 *Petri* 1. *v.* 3. dicitur, per cognitionem quam habemus

mus de Deo, conceſſa nobis quæcunque ad vitam & pietatem attinent, mirum ni in eo choro remiſſio peccatorum locum obtineat; quæ tamen cognitio de Deo, non aliter peccata remittit, quam fides juſtificat, ſeu remittit peccata; nempe cum per cognitionem de Deo, aut per fidem, remiſſio peccatorum nobis innoteſcit.

8. Denique author Epiſtolæ ut extremum unum effugiat, in aliud incurrit; & dum veretur ut confundat juſtificationem cum Electione, Sanctificationem, cujus præcipua pars eſt fides, cum Juſtificatione commiſcet: etenim applicationem quæ propriè actus eſt fidei, pertinere vult ad juſtificationem, ut pars ad totum; ſtatuens ni fallor impetrationem eſſe juſti-

juſtificationem inchoatam, applicationem verò Juſtificationem conſummatam; ſed ſi ratio rectè putetur coincidit illa impetratio cum juſtificatione ſeu reconciliatione, quas ipſe fatetur Chriſtum nobis obtinuiſſe per ſacrificium crucis: hoc ſi eſt, quid opus eſt alia ratio parcendi per applicationem, cum ſemel reo criminis abſolutio impetrata fuerit.

Cap. II.

De actibus Fidei.

SEd ut clarius pateat quaſnam partes obtineat fides in juſtificatione noſtra, non abs re erit actus fidei vivæ recenſere & explicare: triplex ergo

ergo eſt actus fidei: primus eſt quo mediante Spiritu adoptionis videt fidelis omnem juſtitiam impletam in Chriſto & a Chriſto; eum pro peccatoribus mortuum; nec cauſæ eſſe cur è numero iſtorum peccatorum ſe eximat; eſtque hic actus directus, activus reſpectu Dei & influxus divini, ſeu Dei donantis fidem, ſed paſſivus reſpectu hominis recipientis.

Secundus actus, activus & reflexus reſpectu hominis, eſt quo conſcius fit peccator reatus & ſuæ miſeriæ, necnon tanti beneficii oblati, indeq; amore, fiducia & ſpe ſe movet verſus Chriſtum, operante eodem ſpiritu adoptionis. Tertius actus eſt is quo fides agit per bona opera.

Primus actus fidei habetur

Rom. 1.17. *Justitia retegitur de fide in fidem*, & *Galat.* 1. *v.* 15, 16. *Quando placuit Deo revelare mihi filium suum.* Item Ephes. 1. v. 13, 14. *In quem postquam credidistis* (quæ verba excipiuntur proximè ab aliis ad actum secundum pertinentibus) *obsignati estis spiritu illo promissionis sancto*, &c. Ad eundem actum secundum pertinent verba, *Ephes.* 3. 17. *Ut inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris.* necnon *Eph.* 3.12. *In quo habemus libertatem & aditum cum fiducia per fidem ipsius:* Qui locus paraphrasis est verborum *justificari per fidem:* nempe natura est veræ fidei se movere versus Christum: expressus est locus *Rom.* 8. *v.* 16. qui actum secundum exprimit, *Ipse spiritus testatur*

ſtatur unà cum ſpiritu noſtro, nos eſſe filios Dei. Ubi, ſpiritus Dei per fidem in cordibus noſtris agens, non tantum teſtimonium perhibet nos eſſe filios Dei, ſed efficit ut firmiter Deo adhæreamus, in eo ſperemus, oblectemur, in eum recumbamus, ei fidamus. Huc pertinent verba *Galat.5.v.5, Nos ſpiritu ex fide expectamus ſpem juſtitiæ.* necnon *Galat. 4. v. 6. Quia eſtis filii, emiſit Deus ſpiritum filii ſui in corda veſtra clamentem Abba Pater.* Qui quidem locus aptè exhibet, tum fidei actum ſecundum; tum totam rationem Juſtificationis per fidem, quaſi dicens, *Quia Deus vos adoptavit in filios, peccata veſtra remiſit, imputavitq; juſtitiam Chriſti, tanti beneficii voluit vos facere certi-*

ores, donando vos fide prætioſa, quam ſpiritus Dei in cordibus veſtris creavit, per quam requieſcitis in Deo Patre, in eum tanquam in ſinum Patris curas veſtras rejicitis, & aditum ad eum cum fiducia habetis.

Tertius actus impletur cum (*Tit.*3.*v.*8.) firmamus fidem per bona opera, & fides agit per charitatem, *Galat.*5.*v.*6.

De eodem actu Sanctus Paulus, *Rom.*8. *v.*11. Nempe cum Spiritus Chriſti habitans in nobis per fidem, opus regenerations promovet, nos vivificat, ſanctificat, & novam vitam creat, cujus fructus recenſentur, *Galat.*5.*v.*22,23.

Hiſce actibus & locis vera juſtificatio per fidem ob oculos ponitur: hi ſunt actus fidei juſtificantis ſed non Juſtificationis,

onis, ſeu imputationis Juſtitiæ Chriſti: Sunt tamen hi actus veri effectus Juſtificationis ſeu actionis Divinæ, quâ abſolvit miſerum peccatorem, eique imputat Chriſti obedientiam.

Nam, hi actus, recurrendi ad Chriſtum, in eum recumbendi, totam fiduciam reponendi, in ejus amore conquieſcendi, nihil pertinent ad actus abſolvendi, condonandi peccata, ſeu juſtificandi. Sed planè hi actus, immò omnes actus fidei, Juſtificant, quando *juſtificare* idem eſt quod notum facere & teſtimonium perhibere; etiam tertius actus juſtificat, ubi bona opera teſtes ſunt noſtræ fidei, cum in foro conſcientiæ, tum in oculis proximorũ. Inſuper omnes hi actus quales incumbentia, *&c.* cum ſint opus gratiæ, &

largiti ſunt propter Chriſtum ſupponunt reconciliationem præcedaneam, ac proinde juſtificationem: noſq; fuiſſe receptos antequam horum actuum gratiam haberemus. Deniq; hi actus ſunt opera & effecta gratiæ ſeu Juſtificationis noſtræ. exempli gratiâ, primus actus fidei, adeoque fiducia primula, non emergit ex ſanctificatione, nec ab ejuſmodi promiſſione quâ pœnitentibus remiſſio peccatorum promittitur, ſed ab hac promiſſione qua Chriſtus promittitur venturum in mundum ut propitius ſit miſeris & peccatoribus.

Cap. III.

Explicatio aliquot locorum, quæ de Juſtificatione agunt.

UT clarius pateat, quas partes fides teneat in Juſtificatione, percurrenda ſunt aliquot loca, quæ de Juſtificatione mentionem faciunt, quibus me non infero Interpretem, ſed eum ſenſum appono, qui mihi magis videtur conformis eſſe divino Intellectui Scripturarum.

Rom. 3. v. 22. *Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt.* Senſus eſt, Juſtitiam Dei in cujuſcunq; ſortis fidelium dimanans, patefieri per doctrinam Evangelii, vel innoteſcere

per donum fidei ſingulis fidelibus datum.

Verſu 24. *Juſtificati gratis per redemptionem quæ eſt in Jeſu Chriſto.* Nempe ſtatuit redemptionem ſeu remiſſionem peccatorum eſſe formalem cauſam noſtræ juſtificationis.

Ver. 25. *Quem propoſuit Deus, ut eſſet placamentum per fidem in ſanguine ipſius, ad declarandum Juſtitiam ſuam per remiſſionem præcedentium peccatorum.* Hic locus hac paraphraſi elucidatur.

Doctrina Evangelii vel Juſtitia Evangelica (quæ nomine fidei quandoque appellatur) *declarat ſanguinem Chriſti effuſum pro peccatoribus, eſſe propitiationem per quam Deus reconciliatur illis. vel fides patefacit, declarat Jeſum Chriſtum veram eſſe*

esse justitiam & propitiationem pro peccatis, etiam commissis ante Evangelii publicationem per Evangelistas & Apostolos.

In sequentibus versibus planum est, Sanctum Paulum per legem fidei intelligere vel objectum fidei, vel eam œconomiam Evangelicam quæ Mosaicæ opponitur: id docent versus 27. & 31. hujus sensus planus est; *Irritum ne facimus verum legis usum, cum annunciamus Evangelium? absit: quin potius constabilimus.*

Versus 26. Non magis ad literam statuit hominem credentem esse objectum Justificationis, quàm versus quintus capitis sequentis, hominem impium.

Rom. 5. v. 18. *Sicut per unam offensam omnes homines condem-*

nati ſunt, (nempe quoad reatum) *ita per unam Juſtificationem omnes homines acceperunt Juſtificationem ad vitam.*

Hìc plana omnia. Juſtificatio ſeu Imputatio juſtitiæ Chriſti; ſeu ea juſtificatio per quam omnes juſti cenſentur, opponitur imputationi offenſæ per quam omnes condemnantur: abſolutio condemnationi opponitur: peccatum Adami Juſtitiæ Chriſti. Donum ſeu imputatio Juſtitiæ Chriſti ſtatuitur cauſa cur Juſti cenſemur coram Deo, & peccata nobis remittuntur ad adeptionem vitæ æternæ, ſicut offenſa Adami ſtatuitur cauſa cur omnes homines ſunt rei mortis æternæ. Hic nullibi fidei ratio eſt: nam fides non eſt imputatio Juſtitiæ Chriſti; ut neque remiſſio

miſſio peccatorum, ac proinde nec juſtificatio: ſed nec fides eſt abſolutio, nec cauſa aut donum propter quod juſti cenſeamur coram Deo. Sed ſequenti verſu, maximè formalis ratio Juſtificationis exprimitur, nulla habita ratione fidei.

Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores ſunt conſtituti multi, ita per unius obedientiam juſti conſtituuntur multi. In hac oppoſitione nullus eſt locus fidei: nam Juſtitia Chriſti, non fides opponitur offenſæ: tum ut nullibi Scriptura dicit nos juſtos reddi per fidem, ſed per Chriſti obedientiam, mortem aut ſanguinem; ita quando *Juſtificare* idem eſt quod juſtum reddere & abſolvere, neque Scriptura dicit ullibi nos juſtificari aut abſolvi

per

per fidem, ſed per Chriſti obedientiam, mortem, aut ſanguinem: denique Chriſti obedientia eſt noſtra Juſtificatio, quæ in eo conſiſtit, non quod credamus in Chriſtum, ſed quod Chriſtus factus eſt peccatum (ſeu ſacrificium pro peccato) loco noſtro.

Rom. 5. v. 1. *Juſtificati per fidem* (aut ex fide) *pacem habemus erga Deum.* Senſus eſt, vel, poſtquam innotuit nobis, Chriſti juſtitiam ad nos pertinere, pax inde conſcientiæ exorta eſt: vel, Doctrina Evangelii, aut Chriſtus ipſe per doctrinam Evangelii, quæ fidei nomine in Scriptura ſæpe vocatur, nos ab omni reatu abſolvit; unde oritur pax conſcientiæ, & animi tranquillitas, fiduciaque qua in Deum recumbi-

cumbimus: an potius ſenſus eſt, Juſtificati habemus pacem cum Deo, id eſt ſumus reconciliati Deo, ut *Twiſſus* exiſtimat?

Galat. 2. v. 16. *Scimus non Juſtificari hominem ex operibus legis, ſed per fidem Jeſu Chriſti: nos, inquam, in Jeſum Chriſtum credidimus ut juſtificaremur ex fide Chriſti, & non ex operibus Legis, propterea quod non juſtificabitur ex operibus legis ulla caro.* Non puto hocce loco aliud denotari, quam fidei proximum & præcipuum fructum eſſe, ut nobis innoteſcat Chriſtus cum omnibus beneficiis, eumque non revelari conſcientiis per bona opera vitæ novæ, quantumvis caſtigatiſſimæ, ſed per unicum Fidei donum, per quem internuntium ſumus certi de reconciliatione.

ciliatione noſtra deque remiſſione peccatorum: an per fidem denotatur Evangelium, ut opponatur operibus legis & ceremoniis quas pſeudo-apoſtoli poſtulabant conjungi cum fide Chriſti ſeu Evangelio?

Philippen. 3. v. 9. *Inveniar in eo non habens meam Juſtitiam, quæ eſt ex lege ſed eam quæ per fidem eſt Jeſu Chriſti, nempe juſtitiam quæ eſt ex Deo per fidem.* Videtur hoc loco S.Paulus in ſpeciem aſſerere actum credendi eſſe de juſtitia Evangelica: Sed *Calvinus* ad locum dicit, mentem Apoſtoli eſſe comparare duas Juſtitias inter ſe; *Unam, propriam hominis; alteram quæ ex Deo eſt & per fidem obtinetur.* Et paulo poſt: *Quod igitur Juſtitiam fidei aſſerit ex Deo eſſe, non ideo tantum eſt, quia fides*

fides ſit Dei donum, ſed quia Deus nos juſtificet ſua bonitate, vel quod Juſtitiam ab ipſo nobis donatam fide recipiamus. Nempe, tum Juſtitia Dei, tum fides, dona Dei ſunt ex æquo, illa quidem quæ nos juſtos reddit, hæc vero per quam ſcimus hanc juſtitiam ad nos pertinere.

Act. 13. v. 38. *Notum ſit vobis, ab omnibus, a quibus per legem Moſis abſolvi non potuiſtis, per hunc quemvis qui credit abſolvi.* Videtur facere fidem conditionem prærequiſitam ad Juſtificationem: ſed quis ſit ſenſus loci *Calvinus* docet ad locum. *Declarat* Paulus *quomodo potiantur homines juſtitiâ Chriſti, nempe cum fide illam recipiunt.*

Hunc locum & conſimilia, allegat

allegat author Epiſtolæ ut probet fidem, imo & pœnitentiam & ſanctam vitam prævias eſſe Juſtificationi, & objectum Juſtificationis eſſe hominem credentem, qualia ſunt *Act.* 10.43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accepturum per mortem ejus quemvis qui crediderit in eum:* & ejuſmodi, *Reſipiſcite & convertimini ut deleantur peccata veſtra:* & *Juſtificans eum qui eſt ex fide Jeſu,* Rom. 3. v. 26. Sed eam vim argumentorum ex iſtis locis petitorum, quibus nos conſtringi putat, facile declinabimus inferius, ut & quod attinet objectum Juſtificationis, quod volunt eſſe hominem credentem: His enim locis denotatur qualitas eorum quibus remiſſa

ſunt

ſunt peccata. Sexcentis ejuſmodi paralogiſmis & parallelis locis, Pontificii aſtruunt meritum operum, & Arminiani electionem ex fide prævisa. Non minus eſt roboris in verbis. *Deus elegit credentes*, Jacob.2. ut probetur fidem eſſe prærequiſitam ad Electionem, quam in verbis *credentes accipiunt remiſſionem peccatorum*, ut fides aſtruatur prævia remiſſioni peccatorum.

Cap. IV.

De actibus Dei Juſtificantis.

DE his videndum, quinam, quando, & an ſimul & ſemel fiant? Hos actus pleriq; ſinceriorum Theologorum volunt duos eſſe, Imputationem

nem Juſtitiæ Chriſti, & remiſſionem peccatorum, eaſque diverſas eſſe partes Juſtificationis: nonnulli tamen diſtinctas volunt duntaxat τῷ λέγω, non τῷ εἶναι, ut utravis ſeorſim ſumpta Juſtificationis naturam exprimat: quod patere aiunt ex *Rom.*4.v.6,7. ubi Apoſtolus ex profeſſo hoc argumentum tractans, remittere peccata, & imputare juſtitiam Chriſti, tanquam ἰσοδυναμοῦντα uſurpat, eamque diſtinctionem non reſpicere Juſtificationis integrantes partes, ſed duos terminos, a quo & ad quem: quod ſic illuſtrant; ut uno eodemque actu & tenebræ ex aere pelluntur, & lumen in aerem introducitur; ſic homo impius uno eodemq; juſtificationis actu, & reatu abſolvitur & juſtus pronunciatur.

nunciatur. Fateor me in ſententiam priorum potius delabi; immo vel nolentem trahi, cum tutius ſit in negotio ſalutis, ea admittere, quæ ſine diſpendio veritatis divinæ credi poſſunt, quam quicquam de ea detrahere videri: maximeque arridet methodus quam author Epiſtolæ dat in Catecheſi ſua: ibi enim ſic connectit Juſtitiam Chriſti cum remiſſione peccatorum, ut hæc ſit effectio prioris, ſeu perfectæ obedientiæ quam patri præſtitit Chriſtus, quamque potiſſimum teſtatus eſt, mortem oppetendo, & ſe in ſacrificium propitiatorium pro peccatis hominum offerendo. Verùm extra hanc methodum non eſt negandum, præterquam quod Scriptura Juſtitiam noſtram maximam

partem

partem in remiſſione peccatorum ponat, etiam Theologos qui duas partes Juſtificationis amplectuntur, incogitanter eo abripi, ut plus in alteram propendeant.

Tractatu de vera Chriſtianæ pacificationis ratione, Joh. Calvino aſcripto cap. 2. de Juſtificatione pag. 9. *Quis dubitet totam hominis juſtitiam cui inniti debet, gratuitâ, peccatorum remiſſione contineri?* & paulo poſt, *Meritò* Paulus *fidei juſtitiam in peccatorum remiſſione ſimpliciter ineludit, docens, eam a Davide deſcribi, cum beatum hominem pronuntiat, cui non imputantur peccata: & certè beatitudo illa cujus David meminit, ex juſtitia manat. Sequitur ergo nos eò eſſe juſtos, quia nobis peccata non imputantur.*

Rivetus

Rivetus Dialyſi p. 88. loquens de duplici gratia quam a Chriſto recepimus, *Hæc* (inquit) *habemus à Chriſto, qui factus eſt nobis Juſtitia per remiſſionem peccatorum, & ſanctificatio per Spiritus ſui in nobis operationem.*

Idem *Rivetus* laudat Caſſandri verba, p. 90. *Dicitur, & extra controverſiam eſt, juſtitiam illam quâ juſtificamur conſiſtere in remiſſione peccatorum; hoc eſt, cum propter meritum paſſionis Chriſti, quam ſuſcepit noſtri cauſâ, peccata nobis non imputantur: quod nihil aliud eſt quam ipſum Chriſti meritum ad remiſſionem peccatorum nobis imputari.*

Idem animadverſ. in Grotii annotata, p. 31. dicit Melanchthonem conſtanter docuiſſe,

isse, *Justificationem significare remissionem peccatorum, seu acceptationem personæ ad vitam æternam.* Disertus est articulus 16. Confessionis Ecclesiarum Gallicarum, *Credimus totam nostram Justitiam, fundatam in remissione peccatorum nostrorum, in qua nostra quoque felicitas consistit, ut dicit David.* Egregiè *Bernardus* Serm. 23. in Cantic. *Hominis Justitia est indulgentia Dei.* Idem, *Justitia Dei est non peccare. Justitia hominis est non imputari justitiam.*

Et revera Scriptura Sacra plerumque, non tantum justitiam nostram & beatitudinem constituit in remissione peccatorum, sed & pleraſq; hortationes ad sanctitatem derivat à consideratione mortis Christi,

cum

cum tamen Juſtitia Chriſti legem implendo, potuiſſet longe acrius calcar videri ad ſtudium ſanctæ & novæ vitæ, quam omnibus numeris explevit Dominus noſter. Non levè eſt quod Sanctus *Paulus* Rom.6. v.7. dicat *qui mortuus eſt juſtificatum* (aut liberatum) *eſſe à peccato:* quaſi hæcce duo longé graviſſima nos doceret, 1. Chriſtum patientem & morientem nos juſtificare & liberare à reatu peccati. 2. Nos mortuos in Chriſto & cum eo crucifixos; ſic liberatos à peccato eſſe, ut non regnet in nobis peccatum; quæ duo beneficia, quibus tota noſtra Juſtitia conſtat, ab una Chriſti morte emanant.

Quando fiant hi actus videndum, an cum electi ſumus,

an

an tum demum cum credimus, an verò ſimul ac Chriſtus promiſſus eſt in mediatorem, quod veritati fidei magis conſonat.

Sed quandodemumcunque hi actus peragantur, ſi uno actu fiunt, inde ſatis evincitur, juſtificationis actum præcedere fidem in Chriſtum; álioquin ſupponendum eſſet, Juſtificationis actum reiterari, & juſtificationem perinde ac fidem ſua incrementa & deliquia habere.

Verba Sancti Pauli diſerta ſunt, *Coloſſ.* 1. *v.* 20. *Placuit patri ſibi reconciliare omnia, tam quæ ſunt in terra, quam quæ ſunt in cœlo, facta pace per ſanguinem crucis:* tum demum electi juſtificati ſunt ſimul & ſemel cum reconciliati, & tum reconciliati cum fecit pacem

per

per ſanguinem crucis: diſerta etiam ſunt, 2 *Corint.* 5. *v.* 21. *Fecit eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum ut eſſet, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Nempe factus eſt peccatum quando noſtros morbos pertulit, *Eſa.* 53. & tum Juſtificati fuimus ſimul & ſemel, peccatis electorum in eum conjectis, & ſemel oblatione peracta, *Hebr.* 10. *v.*10. Nam & unâ hoſtiâ in perpetuum pro peccatis oblatâ, & ſic conſummatis illis, itidem in perpetuum quos ſanctificavit, ſedit ad dextram Dei, verſibus 12,13,14.

Id deinde probatur quod Scriptura paſſim, cum agit de remiſſione peccatorum, dicat ea ſimul & ſemel nobis condonata eſſe, vid. *Coloſſ.*2.*v.*13,14.

& 2 *Cor.*5.*v.*18. ubi non dicit nos reconciliari in Chriſto, ſed jam in Chriſto reconciliatos fuiſſe. Diſerta ſunt verba proxima, *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputando eis peccata ipſorum.*

Tum cum *David* dicit beatum eſſe cui remittuntur peccata; certum eſt eum loqui de beatitudine perfecta; hoc eſt, cum omnia peccata remittuntur.

Non levè eſt pondus in verbis *Rom.*5. *v.*19. *Sicut per contumaciam unius hominis peccatores ſunt conſtituti multi, ita per unius obedientiam juſti conſtituuntur multi.* Quaſi diceretur, ſicut per peccatum Adami multi ſunt condemnati; ita per ſolius Chriſti obedientiam multi ſunt juſtificati, ut

agatur

agatur de actibus forenſibus & Judicialibus utrobique præteritis, & uno actu præſtitis: quod docet oppoſitio inter juſtificatos per Chriſti obedientiam, & damnationis reos propter peccatum Adami: etenim ut peccatum Adami uno actu poſteros eodem reatu involvit; ſic Juſtitia Chriſti uno actu Juſtificavit peccatores pro quibus mortuus eſt: pari oppoſitione qua *Johan.* 3. *v.* 18. fidelis perinde intelligitur jam juſtificatus, ac infidelis expreſsè dicitur eo ipſo quod non credat, jam perditioni adjudicatus; etenim ut is qui non credit jam eſt condemnatus, ita qui credit jam eſt juſtificatus: ſed ſi creditur authori Epiſtolæ tum demum quis juſtificatur cum credit in Chriſtum.

Neque minus virium eſt in viſione quæ habetur *Zachar.* 3. ubi actus Juſtificationis affabrè exprimitur, *Reſpondens Angelus, allocutus eſt eos qui ſtabant coram ſe, dicendo, Amovete veſtes iſtas ſordidas ab eo, & dixit ei, vide tranſtuli à te iniquitatem tuam ut induam te mutatis veſtibus*,&c. Hic uno actu tolluntur veſtes ſordidæ, & imponuntur veſtes mundæ.

Scripturæ concinunt ſani Theologi.

Ameſius de Juſtificatione Theſi 5. *Juſtificatio nullos gradus admittit, ſed unico actu ſimul & ſemel exiſtit perfecta, quamvis quoad manifeſtationem, ſenſum & effecta, varios gradus habet.*

Idem Theſ. 23. *Remittuntur peccata Juſtificatorum, non præterita*

terita ſolùm, ſed etiam aliquo modo futura Num. 23. 25. *Non intuetur iniquitatem in Jacobo, nec aſpicit perverſitatem in Iſraele.*

Idem Theſi 25. *Petitur quotidie remiſſio peccatorum a Juſtificatis, ut ſenſus & manifeſtatio ejus magis magiſque percipiatur, prout ſingularia peccata poſtulant.*

Piſcator in cap. 6. Matthæi Orat. Domi. *Hic potiſſimum petimus, ut cordibus noſtris per Sp. Sanctum perſuadeat quod nobis remiſerit peccata noſtra propter Chriſtum.*

Rollocus Tract. de Juſtificatione. *Dum precamur remiſſionem peccatorum, non precamur ipſum beneficium quaſi nondum datum, ſed precamur incrementum fiduciæ noſtræ, & applica-*

tionem beneficii quæ fit per fidem, & fidei incrementum. Deus eo modo condonat fidelibus peccata, quo pater filio dilecto; Pater etiam offensus, pater est: & filius etsi paternæ benevolentiæ securus, non desinit rogare eum remissionem peccatorum: quod si illi cui Deus jam remisit peccata ἄτοπον esset rogare Deum remissionem peccatorum, perinde absurdum videretur ut præditus fide donum fidei rogaret, quasi ea planè destitutus: nempe cum fidelis rogat quod jam habet, rogat præsentiæ divinæ gratiæ sensum, quem Deus illustriorem dat pœnitentibus: sanè qui in fide rogat remissionem peccatorum, eo ipso τεκμήεια habet peccatorum jam remissorum; nec tamen per id ad petendam

petendam tum remiſſionem, tum fidem remiſſior eſſe debet. Cum autem fruſtra rogaretur quod non expectaretur, planè cenſendum eſt id merito concedi quod jure petere licet; nec fruſtra eſſe promiſſiones reſipiſcentibus & credentibus quæ ſæpe in Scriptura occurrunt, ut *Act.* 3. 19. & quales urget Epiſtolæ author ut probet actum fidei præeedere remiſſionem peccatorum.

Twiſſus de Erratis Sect. 9. *In Juſtificatione noſtra accipimus remiſſionem peccatorum à Deo, non modo præteritorum, ſed futurorum; hoc eſt, de remiſſione eorundem certiores fieri: neque enim actus internus Dei quo vult peccata remittere, vel etiam actus remittendi, hoc eſt, non imputandi poteſt renovari in*

Deo. Neque probabile eſt Juſtificationem ſæpius de integro iterari: alioqui quomodo veritatem obtinebit illud; Quos juſtificavit, eos glorificavit? Certiſſimum eſſe judico, Deum, cui ſemel remittit peccata, eidem ſemper, qualiacunque & quantacunque peccata ejus remittere: cujus quidem abſolutionis pronuntiatio ex verbo Dei frequenter iteratur pœnitentibus, & hujus favoris Divini ſenſus, non ſemper eodem modo viget in fidelibus, ſed pro ratione, aut peccatorum emergentium obſcuratur & debilitatur; aut reſipiſcentiæ idemtidem repetitæ rurſus vegetatur & reviviſcit. Quod ſi actus Juſtificationis non renovetur; neq; etiam credibile eſt, cum rogamus remiſſionem peccatorum, nos rogare aut juberi

juberi rogare reiterationem actus remiſſionis peccatorum, ſeu reiteratam juſtificationem.

Idem Præf. ad *Perkins* Vindicias. *Extra controverſiam eſt, remiſſionem peccatorum prout eſt actus in Deo immanens, antecedere noſtram & fidem & reſipiſcentiam: nobis verò non niſi per fidem innoteſcere, cujus etiam fiducia multo adhuc confirmatior evadit per reſipiſcentiam.*

Teſtimoniis ratio aſtipulatur.

1. Simul ac Chriſtus promiſſus eſt in mediatorem, erat Mediator. Si Mediator, etiam vas; ſi vas, ergo omnium peccata in ſe aſſumpſit pro quibus vadimonium ſtitit.

2. Juſtificatio actio Dei eſt immanens, in inſtanti facta, quæ nihil in Juſtificato ponit;

quanqnam in adultis, neceſſariò creet fidem, ut fides bona opera; nam remiſſio peccatorum eſt effectio mortis Chriſti, ut fides remiſſionis peccatorum: Dixi eſſe actionem immanentem: nam remiſſio peccatorum, ſi quidditatem reſpicias, nihil aliud eſt quam punitionis negatio; aut volitionis puniendi negatio. Sic ergo, peccata remittere, nihil aliud eſt quam nolle punire; qui actus in Deo immanens fuit, nec fidem conſequitur, nec ſpiritus ſancti operationem in nobis terminare deprehenditur: id verò quod per operationem ſpiritus ſancti nobis contingit, nihil aliud eſt quam fides, ſeu ſenſus gratiæ Dei. Huc pertinet quod ea actio longè differat ab actionibus tranſeuntibus

tranſeuntibus, quæ realem mutationem in ſubjecto ponunt, ut ſunt converſio, vivificatio, &c. quæ intra nos efficiuntur: at per actum credendi remiſſio peccatorum non efficitur ſed accipitur; non ſic de vivificatione & ſanctificatione, quæ per fidem efficiuntur in nobis: at Juſtificatio non fit per fidem, ſed per fidem innoteſcit & cognoſcitur.

3. Ratio unionis cum Chriſto poſtulat ut juſtificemur antequam credamus, ſaltem prioritate naturæ & ordinis, ſi non temporis: omnes gratiæ fluunt ab unione Chriſti membrorum cum Chriſto capite, ac proinde fides. Cum Chriſtus dixit, *Johan.* 15. *v.* 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* Perinde fuit ac ſi dixiſſet, *Niſi prius uniti*

uniti & inſiti in me eſtis, non poteſtis credere: etenim qui non eſt inſitus Chriſto, nullum actum aut opus edere poteſt: hinc eſt quod fides *Galat.* 5. *v.* 22. ab ea unione emanet: Nec capio quomodo ſurculus & arbor in unam vitam coaleſcere poſſint, & folia ac fructus ferre communi vitâ conjunctos, niſi prius una inſitione juncti fuerint. *Qui habet Filium, vitam habet,* Joh. 15. 12. ut non loquar de ea unione quæ elucet in infantibus electis qui membra ſunt Chriſti, adeoque unita Chriſto per Spiritum Chriſti; quanquam nondum fide & bonis operibus frugifera.

Porrò iſtius unionis fides non poteſt dici inſtrumentum, niſi ſtatuatur prior unione: cumq;

cumq; fides non poſſit inſtrumentalis eſſe niſi in ſocietatem operis cæteras gratias ſecum trahat, dicendum unionem cum Chriſto non ſolum fide ſed & bonis operibus poſteriorem eſſe: namque bona opera à fide divelli nequeunt, & ideo omnes gratiæ nomine ſanctificationis Spiritus indigitantur 1 *Pet.* 1. *v.* 2. ut quæ uno inſtanti ſimul & ſemel in animam infunduntur.

4. Omnino admittenda remiſſio peccatorum ante fidem: nec acutiori gladio jugulamus Arminianos aſſerentes, tum reconciliabilitatem non reconciliationem per Chriſti mortem; tum potentialem remiſſionem in morte Chriſti, non verò actualem: nec enim Chriſtus mortuus eſt ut remiſ-

ſionem

ſionem peccatorum poſſibilem faceret; nec tantum ut impetraret remiſſionem, ſed ut actu remitteret electorum peccata, & conferret remiſſionem peccatorum: an non ſaltem cum mortuus Dominus noſter Jeſus, ſatisfecit ille pro omnibus electis; pretium plenarium perſolvens pro omnium Electorum peccatis? an tantum impetravit in morte, ut remiſſionem peccatorum adipiſcerentur electi cum poſtmodum crediturі erant in Chriſtum? quod ſi nunquam ad adultam ætatem perveniunt, an ſuſpendetur eorum ſalus & remiſſio peccatorum ex fide quam nunquam habituri ſunt? nempe cum Johannes Baptiſta dixit, *Ecce agnus qui tollit peccata mundi*, debuit dicere, *qui tollet*

let ſi mundus crediturus eſt: aut cum ſervator ipſe dixit, *Hic eſt ſanguis meus qui effunditur in remiſſionem peccatorum:* loco *peccatorum,* ſubſtituendum fuit *credentium.* Sanè qui hæc ſic explicant, ultro in caſtra Arminianorum concedunt, quibus *actualis remiſſio & Juſtificatio & redemptio contingunt, non niſi credentibus & ſpiritum Chriſti habentibus.* Quod dogma ſi recipiendum eſt, ſtatuenda erit remiſſio peccatorum & prior & poſterior fide & donatione ſpiritus ſancti: etenim cum fides & donatio Spiritus ſancti ſint effecta remiſſionis peccatorum & Juſtitiæ Chriſti nobis imputatæ, conſtituendus erit alius actus remiſſionis peccatorum poſterior fide & donatione Spiritus ſancti; ſicque

Juſtificatio

Juſtificatio & remiſſio peccatorum non erunt actus ſimul & ſemel peracti: unde mirum quid moverit authorem Epiſtolæ pronunciare, *Deum decreviſſe condonare peccata tantum credenti & pœnitenti.* Exiſtimabam hactenus hominem credere & pœnitere quia ei Deus condonavit per & propter Chriſtum. *Zacharias* Luc. 1. v. 77. facit cognitionem ſalutis adeoque fidem & pœnitentiam effectum remiſſionis peccatorum: nam ideo pœnitentiam ſubit, quia ei peccata remiſſa ſunt: Davidi grande crimen adulterii & homicidii prius remiſſum erat quam facti pœniteret. Pœnitentia vera oritur ex conſcientia miſericordiæ Divinæ peccata multa condonantis peccatori,

peccatori, qualis fuit lugubris conditio mulieris, *Luc.* 7. 38. quæ multum amavit, pœnituit, multùm flevit, quia Jesus Christus multum condonavit: amor noster erga Deum, quem testatissimum facimus dum resipiscimus ex sensu amoris Dei erga nos originem suam repetit ut docet *Johannes* cap. 4. v. 9. Epistolæ primæ.

5. Sed tantum abest ut actus credendi præcedat actum remittendi peccata, ut, nequidem in actibus vocandi, sanctificandi, vivificandi, *&c.* quæ realem mutationem putantur ponere in vocato, sanctificato, *&c.* Deus in subjectum agat nisi destitutum; versenturque actiones Dei circa objectum vacuum conditione aut virtute prærequisita: Regnum Dei, ab infantibus

fantibus ſola ignorantiâ mali, non verò cognitione boni, innocentibus, prius recipitur quã in viros adoleſcant. Deus mortuos excitat & vivificat: communicat ſpiritum non credentibus ut credant; & ut vocatio eſt actus miſericordiæ divinæ verſantis circa miſeros, ita vocat ſtupidos & inertes, nihil minus quam itiones ad Chriſtum meditantes: tranſfert a regno Satanæ & a tenebris ad lucem: par ſaltem ratio, quanquam longè potior in actu Juſtificationis. Deus juſtificat impium quà impium, non in ſenſu diviſo ſed compoſito, *Rom.* 4. *v.* 5. neque enim poteſt dici impius qui habet fidem in Dominum Jeſum: Idem Juſtificat ethnicos, *Gal.* 3. *v.* 8. *Virium expertes & impios,*

pios, Rom. 5. v. 6. *Etiamnum peccatores*, verſ. 8. *inimicos*, verſ. 10. Tum reconciliati ſumus cum inimici eſſemus, peccatores, abalienati & hoſtes, *Coloſſ.* 1. *v.* 21. quid enim abſurdius dici poteſt quam *amicos reconciliare?* Deus remittendo peccata, declarat peccatori ſe juſtum, eum vero injuſtum: ſed de objecto Juſtificationis in ſpecie poſterius agetur.

Verùm actus Dei immanentes, ſimul ac ſemel peracti, puta *eligere, juſtificare, mori pro peccatoribus*, diverſo reſpectu in objectum feruntur. Sic Chriſtus mortuus eſt tam pro amicis quam pro inimicis: amicis quidem, quia Deus eos amabat jamq; juſtificaverat, at pro inimicis mortuus eſt, quia Deum non amabāt; nec dum ad fidem converſi

converſi erant ut iſtius amoris ſenſum haberent: Sed quocunq; reſpectu fiunt actus remittendi peccata, immo vocandi, ſanctificandi, *&c.* feruntur ad objectum deſtitutum conditione prærequiſita, ut actio ſe in actum promoveat.

Cap. V.

De Concurſu actuum.

HUnc concurſum illuſtrat duplex reconciliatio. Prima, qua Deus reconciliatur nobis, Secunda, qua nos reconciliamur Deo. De prima reconciliatione loquitur *Paulus*, cum dicit nos fuiſſe reconciliatos cum eſſemus inimici, *Rom.* 5.*v.*10. *Coloſſ.*1.*v.*21. & 2 *Cor.* 5.*v.*18,19.

5.*v*.18,19. at de ſecunda agit verſu proximo, *rogamus vos ut velitis reconciliari Deo:* quod fit cum primam reconciliationem apprehendimus, & novimus nobis benevolum Deum: per & propter Chriſti obedientiam Deus reconciliatur nobis, at per fidem reconciliamur Deo. *Qui credit in Filium habet vitam,* imo *videt vitam*, *John* 3.*v*.36. poteſtq; clamare *Abba Pater:* qui ſic reconciliatur habet pacem erga Deum, *Rom.* 5.*v*.1.

Prima reconciliatio eſt cauſa ſecundæ; nam quod ſumus filii Dei eſt cauſa cur Deus Spiritum nobis det, *Galat.*4.6. *Quia filii Dei eſtis, Deus miſit Spiritum filii in cordibus veſtris ut clametis Abba Pater:* nempe *filii eſtis* per eam gratiam in Chriſto

Chriſto datam antequam mundus inciperet. At locus, *Galat.* 3. *v.*26. *Eſtis omnes filii Dei per fidem,* pertinet ad effectionem primæ reconciliationis:ibi enim loquitur de noſtra reconciliatione ſeu manifeſtatione primæ reconciliationis. Prima reconciliatio vocari poteſt originalis, de qua *John* 3, 16. & 1 *Johan.* 4.10. Secunda, actualis, quæ in conſcientiis noſtris peragitur. Utramque reconciliationem *Twiſſus* ſic nobis exhibet, Vindic.p.197. *Sic Deus nos ſibi reconciliavit in Chriſto quoad rei veritatem: at in Miniſtris poſuit verbum reconciliationis, quoad ejuſdem pretioſæ veritatis manifeſtationem. Sic cum eſſemus inimici, dicimur reconciliati Deo quoad rei veritatem; quod tamen non niſi per Evangelii*

Evangelii prædicationem fit, quoad ejuſdem veritatis patefactionem & ſalutarem communicationem.

Ad exemplar concurſus horum actuum in reconciliatione, facile patimur Juſtificationis actus exſcribi; imo putamus totam Juſtificationis formalem rationem dilucidè exhibere. Nempe in prima reconciliatione, Juſtitia Chriſti, tum intentione & propoſito Dei, tum in præſtatione Chriſti Mediatoris noſtra fuit: Juſtitia Chriſti nobis imputata, immo nobis applicata, etiam ante fidem & reſipiſcentiam: at in ſecunda reconciliatione adveniente fide, tum demum agnoſcimus, & percipimus amorem Dei erga nos in Chriſto Jeſu; unde dicitur juſtitia Chriſti imputari nobis

nobis per fidem, quia non niſi per fidem dignoſcitur a Deo nobis imputari; & tum demum juſtificari dicimur eo genere juſtificationis & abſolutionis a peccatis noſtris, quæ pacem ingeneret conſcientiis noſtris: conſtituit enim Deus in conſcientiis noſtris tribunal, in quo quodammodo fit condemnatio, peccatorum remiſſio, Juſtificatio, atque abſolutio, quæ tum fidem conſequitur; & juxta hunc ſenſum Juſtificatio fit per fidem: in eo enim tribunali conſcientiæ, Deus nos juxta legem ſuam reos peragit, conſternat, excruciat: tandem per Dei miſericordiam & operante Spirito Sancto, accendendo fidem in cordibus noſtris, erecta conſcientia & ſecura in ſatisfactione Chriſti in qua acquieſcit,

quieſcit, pronuntiat ſibi peccata propter Chriſtum remiſſa; ſed hæc Juſtificatio non eſt abſolutio decretoria; ſed tantum pronunciatio ſibi innoteſcere peccata propter Chriſtum remiſſa.

Cæterum in ea Juſtificatione per fidem, ſeu ſecunda reconciliatione, non requiritur fides & reſipiſcentia ut pro nobis ſatisfaciat Chriſtus, quemadmodum in prima reconciliatione; ſed ut ſatisfactio illa Chriſti jam peracta nobis innoteſcat, & ex ejus dulcedinis guſtu atque experientia, conſcientiæ noſtræ recreentur, & ad gratitudinem erga Deum & ſtudium bonorum operum extimulemur: Deus autem qui bene dicit nobis omni ſpirituali benedictione in Chriſto, nunquam

unam gratiam ſine altera indulget, ſaltem in adultis, apud quorum conſcientias fidem generat & dat ſpiritualem ſenſum, quibus ſe juſtificatos norint, & propterea ſerio gaudeant. Poterat Deus redimere, Juſtificare, & ſalvare electos ſuos per Chriſtum, etiam non indulgendo hunc gratiæ ſenſum, ut accidit infantibus & ſurdis: ſed ea eſt bonitas & magnitudo miſericordiarum Dei erga adultos, ut non ſatis habeat per Chriſtum Juſtificare, niſi & illis certa det argumenta fiduciam facientia de ſua electione & juſtificatione: argumentum fiduciam faciens longè præcipuum eſt fides ſeu teſtimonium internum, de quo 1 *Joh. cap.* 5. *v.* 10. per quod novimus nos habere vitam æternam, *verſ.* 13.

Porrò

Porrò, ut remiſſio noſtra peccatorum non ſuſpenditur ex fide (quod ſanè fieret ſi per fidem remitterentur peccata) ita nec ex ſenſu divinæ gratiæ ſe magis aut minus juſtificatos dictitant fideles; nihil ſibi imputari ad juſtitiam cenſent, niſi perfectiſſimum, qualis juſtitia Chriſti quo induti 1. coram Dei tribunali juſti ſiſtuntur. 2. Non reputant ſe juſtos ſuâ juſtitiâ ſed alienâ. 3. Eâque æternâ. 4. Quam Deus non jubeat, ſed decernat, & ad quam non hortetur homines. Jam cum fides nihil horum habeat; ſit Imperfecta, ſit noſtra & non aliena, eaque ad tempus tantum, ſuos acceſſus & receſſus habens: tum jubeatur & ad quam Deus hortetur; non mirum, ſi in juſtitia quâ coram Deo

juſti cenſemur ſoli Juſtitiæ Chriſti innitatur peccator; juxta dictum Caſſandri à Riveto allegati & laudati, Dialyſeos p. 92. *Anima fidelis huic juſtitiæ inhærenti non innititur, ſed ſoli Juſtitiæ Chriſti nobis donatæ.* Unde conficitur ſolam illam Juſtitiam cui inniti debemus, nos juſtificare. Mirum ni *Elihu* libro *Jobi* cap. 33. a verſu 19. ad 28. ideam nobis illuſtrem exhibeat peccatoris & miſeri per fidem juſtificati; nempe cum conſcientiæ recreantur ex fiducia ſanitatis ſpiritualis & remiſſionis peccatorum quã ipſi ſequeſter pacis impetravit & ſignificavit.

Hic autem ſubit mirari quod qui (& meritò) faciunt Juſtificationem præviam ſanctificationi, ſi non tempore ſaltem naturâ,

naturâ, ſemperque doceant hominem prius juſtificari, quã ſanctificetur; ij tamen cum copulant actus Dei remittentis peccata & fidei apprehendentis remiſſionem peccatorum, ut juſtificatio conficiatur, ſtatuant non tantum actum fidei, ſed & pœnitentiam præcedere actum remittendi peccata. Verba ſunt Authoris Epiſtolæ, *Pœnitentia præcedit Juſtificationem & eſt conditio neceſſaria ad condonationem peccatorum.* Haud dubio, per eandem conſequentiam, quâ, cum Princeps non niſi nummato confert Senatoris dignitatem, ſequitur nummos eſſe conditionem antecedentem obtinendæ Senatoriæ dignitatis. Sic a ſe orſa detexunt; non tantum pœnitentiam ſed & ſanctificationem quæ

pene unam pœnitentiam ſuo complexu capit, præponentes Juſtificationi; per id turbantes ordinem annulorum catenæ aureæ *Rom.*8.30. ubi juſtificare prius eſt quam Sanctificare.

Sed maximus eſt paralogiſmus Authoris Epiſtolæ, ex eo quod actus Chriſti remittentis peccata, & fidei apprehendentis remiſſionem peccatorum, ſimul fiant (ſi tamen fiant) inferentis Juſtificationem non poſſe definiri quin eâ fides concludatur: etenim Juſtificatio ſortita eſt definitionem diverſam a ſanctificatione, ut ita ſint connexæ, ut una non poſſit concipi ſine altera. Conſimiliter virtutes Chriſtianæ, quales bonitas, patientia, humilitas, quanquam re & ſpecie diſpares, ſic mutuas ſibi tradunt

dunt operas, atque ita connexæ ſunt, ut a ſe invicem non poſſint divelli in fideli: pariter fides non poteſt ſeotſim eſſe ab adjunctis bonorũ operum, quæ tamen inter ſe & à fide definitione differunt.

Porrò cum dicit author Epiſtolæ, fidem eſſe conditionem prærequiſitam ad condonationem peccatorum; mirum quod reliquas Spiritus ſanctificantis χάεισας perinde non faciat conditionem ad condonationem peccatorum; quandoquidem omnes ſint ex æquo conditio novi fœderis; non quidem conditio meriti, ſed qualificationis ut loquuntur: etenim novi fœderis Mediator in ſe recepit illis quos in ſocietatem fœderis ad Deum adducit, creare fidem, pœnitentiam, ti-

morem, humilitatem, ſincerum obſequium, cæteroſque regenerationis actus. Non eſt ergo cenſendum fidem ſolam eſſe de conditione novi fœderis, cum & id Scripturæ repugnet: nam *Deuter.* 6. *v.* 5. amare Deum toto corde & totis viribus, eſt conditio fœderis, & *Jerem.* 32. *v.* 40. *Pangam fœdus perpetuum cum ipſis, ut benefaciam ipſis, & timorem mei in cordibus ipſorum indam.* Sic *Geneſ.* 17. *v.* 1. Sanctitas & integritas vitæ ſtatuuntur conditio fœderis Dei.

Verum tantum abeſt ut remiſſio peccatorum detur ſub conditione fidei, aut pœnitentiæ; ut ne quidem Deus auxilio ſit pœnitentibus & ſitientibus ſub lege & conditione, aut propter conditionem, vel pœnitentiæ, vel ſitis gratiæ & cujuſcunque

cunque doni gratuiti, at creati; ſed propter unionem animæ fidelis cum Chriſto, *Galat.* 3. 26. alioquin res promiſſa mere ex debito eſſet, non ex gratia: etenim quod promittitur, ſub certa conditione & lege; poſtmodum, conditione impletâ vim debiti habet. Dona Dei, qualia, auxilium Dei juge, incrementum fidei & gratiæ, conſolatio corde contritorum, immo ipſa ſalus æterna, quæ collationem præcedaneam fidei & pœnitentiæ excipiunt, non conferuntur nobis quà donatis conditionibus fidei, pœnitentiæ humilitatis, *&c.* ſed quia uniti ſumus Chriſto: neq; enim per hæc dona magis compotes ſimus promiſſionis, ſed per ea de donatione rei promiſſæ tantò certiores reddi-

mur. Sic non quia ſitio, ideo mihi vendico promiſſionem, ſed ſitis me ad ſedandam ſitim tanto ardentius impellit, & deſiderandum, ut cum deſiderio gratiæ, non propter deſiderium gratiæ, conſcientia mihi fiduciam faciat Deum mihi futurum propitium. Conſimiliter non propter gradus aliquos fidei, humilitatis, abnegationis, ſpei, *&c.* rem promiſſam expecto, ſed cum eis ardentibus votis flagito ut clarius mihi innoteſcat res data aut promiſſa, & me Chriſti membrum eſſe, ac fructus unionis myſticæ in me quoq; reduntaturos. Deus qui pepegit fœdus gratiæ cum ſuis, nullâ conſideratione motus, ſuos amat, ſed propter ſeipſum: eos unit Chriſto; conformeſq; præſtat per novam

vitam

vitam morti Chriſti: & gratiæ dona creat, firmatq; in cordibus fidelium, *Heſa.*59.*v.*21,22. ut, qui rei ſummam indulſit, nempe Chriſtum, unà etiam in Chriſto cætera ad epimetrum dona concedat; quorum quidem donorum utilitas & fructus, per magni ſunt; nam etſi non ſint cauſa aut argumentum, quo mixus ſalutem mihi ſpondeo; me tamen ad Chriſtum fontem compellunt, ut ex eo ἀμυσὶ bibam, & ſalutis ſpem, non in ulla conditione fidei aut pœnitentiæ, ſed in Chriſto mortuo pro peccatoribus, quibus me primum accenſeo, collocem; omni juſtitiâ cujuſcunq; appellationis extra Chriſti juſtitiam, omniq; injuſtitiâ juxta abnegatâ, cum ad ſalutis aram confugio.

CAP.

Cap. VI.

Hominem peccatorem & impium, non verò fidelem & credentem, esse objectum adæquatum justificationis.

SEd tantisper agamus partes eorum, qui volunt fidem, pœnitentiam, novam vitam, & omnes actus regenerationis præcedere naturâ, ordine & tempore, non tantum actus Justificationis, sed & Electionis: pertendo nequidem cum ea sententia concordare ut homo fidelis sit objectum Justificationis, aut fides sit causa instrumentalis Justistificationis seu remissionis peccatorum; ingrediaturve definitionem Justifica-

ſtificationis; idque abhorrere à recta ratione & Ariſtotelica diſciplina: nam ſi in eorum ſententiam pedibus irem, facile concederem rectè ſequi, fidem, pœnitentiam, *&c.* eſſe cauſam ſine qua non, conditioneſq; prærequiſitas & quæ ſupponuntur ineſſe illis qui juſtificantur: at pernegarem inde ſequi Juſtificationem reſpicere hominem fidelem & pœnitentem, tanquam objectum adæquatum Juſtificationis, cujus potius objectum adæquatum eſt homo peccator, impius, immo incredulus & infidelis (quanquam cætera fidelis & vitæ inculpatæ) quatenus, etiam in optimis ſemina incredulitatis latitant, *Marc.* 9, 24. & peccatum eſt infidelitatis ſoboles: etenim omnis actio

tum

tum naturalis, tum moralis, fertur ad objectum ſecundum rationem formalem: Sic Medicus conſiderat hominem non ratione rationibilitatis aut riſibilitatis, ſed ſanabilitatis: eo modo actio remittendi peccata fertur ad objectum, ſecundum rationem formalem objecti, nempe ad peccatorem capacem remiſſionis, non verò donatum fide aut pœnitentiâ: nec refert quod fides aut pœnitentia ſupponantur prius ſubjecto ineſſe quam juſtificetur: ponamus Principem neminem cooptare in Conſiliariorum conſeſſum niſi nummatum: non puto inde ſequi nummos & hominis divitias, cauſam eſſe formalem, impulſivam, inductivam, intrinſecam vel extrinſecam, ob quam inter

conſiliarios allectus eſt: cum potius Princeps, ubi, puta Titium in Senatum ſuum cooptavit reſpexit ad hominis ſubactum judicium multo uſu rerum, & prudentiam magnis negotiis de republica tractandis, parem: at hominis divitiæ non erant magis cauſa ob quam admiſſus ſit Titius, quam quod vivat, ſit ſanus corpore, nec ſit aut oculis captus aut pedibus æger, quo minus Senatui interſit: quæ conditiones repertæ aut ſuppoſitæ in Titio, non potuerunt eſſe objectum ad quod ſe applicuit Princeps, cum eum elegit Conſiliarium: Id vidit Vir clariſſimus & undecunque doctiſſimus *Henricus Hammondus*, ſed qui mihi videtur addictior Arminianorum placitis: at nihilominus in Catecheſi

ſua

ſua, etſi ſtatuat fidem, pœnitentiam, imo omnes ſanctificationis actus præcedere Juſtificationis ſeu remiſſionis actus, tanquam conditiones, qualitates, & qualificationes, ut loquitur, neceſſarias, & in ſubjecto juſtificando requiſitas: tamen fidem aut hominem fidelem, excludit a definitione Juſtificationis, negatque fidem eſſe inſtrumentum aut cauſam Juſtificationis; ſiquidem velit Juſtificationem eſſe actum Divinum qui extra nos præſtatur: ſed eum loquentem audiamus, quanquam non patriâ linguâ, quâ Catecheſin ſuam ſcripſit.

Quid eſt Juſtificatio?

R. *Eſt Dei acceptio noſtrarum perſonarum, & non imputatio peccatorum noſtrorum; obductio & condonatio iniquitatum*

tum noſtrarum, unde ſic reconciliatur nobis peccatoribus, ut conſtituerit nos non punire in æternum.

Quænam eſt Juſtificationis cauſa?

R. *Dei gratuita miſericordia erga nos in Chriſto patefacta nobis in novo fœdere.*

Quod inſtrumentum?

R. *Ut inſtrumentum logicè & propriè accipitur, & ſignificat inferiorem & minus principalem efficientem cauſam, nihil eſt in nobis quod ullas partes habeat in hac operatione, hoc eſt, quod habeat ullam phyſicam energiam: nec concipi poteſt ullas habere poſſe, quandoquidem ſit Dei operatio in nos, de nobis, ſed nullo modo intra nos: & (quod obſervandum eſt) cum Juſtificatio nihil aliud ſit, quam acceptio*

ceptio perſonarum noſtrarum & condonatio peccatorum; valdè improprium & durum eſſet affirmare, opera noſtra, aut aliud quïppiam, imo fidem noſtram acceptare perſonas noſtras, aut condonare noſtra peccata; quantulacunque & infima ſit notio & acceptio ejus; quod tamen aliquo modo affirmandum eſſet, ſi fides inſtrumentalis eſſet ad Juſtificationem noſtram. Verum eſt, neceſſarias qualificationes quas Evangelium requirit in nobis, eſſe conditiones aut moralia inſtrumenta ſine quibus non juſtificabimur: ſed hæc non propriè vocantur inſtrumenta.

Quænam ſunt illæ qualificationes?

R. *Fides, pœnitentia, conſtans propoſitum vitæ novæ, & ceteræ gratiæ ad quorum præſentiam*

condonatio

condonatio promittitur Chriſtiano in Evangelio: quæ omnes gratiæ comprehenduntur vocabulis, novæ creaturæ, converſionis, & regenerationis.

Sane ſecundum hanc ſententiam, ſi quis vitâ retroactâ, Paulo aut Jobo caſtigatior eſſet, tamen mordicùs pertenderem (ut humanum eſt labi) Deum, eum non juſtificare quà credentem, ſed quà impium & peccatorem, imo quà infidelem; nam nequidem eximit Princeps ſupplicio bonum virum, ſed noxium; conſimiliter Deus, remittendo peccata non conſiderat hominem fidelem aut pœnitentem, ſed obnoxium: denique tam ἄλογον videtur dicere Deum remittere peccata homini credenti & fideli, quam affirmare Patrem condonare filio,

filio, non qua erranti ſed morigero, aut objectum adæquatum Patris filium caſtigantis, eſſe filium dictis audientem, non verò officii deſertorem.

Ex ſuperioribus patet quot incommodis urgeatur ſolita ratio doctrinæ de Juſtificatione per fidem: contra verò, quam commoda ſit illa quam exhibemus, in eo potiſſimum, quod Jacobum cum Paulo componat; quorum diverſæ in ſpeciem ſententiæ ſuper Juſtificatione hactenus crucem fixerunt commentatoribus: nam quid ἀπορίας erit ſi dicamus, tum fidem, tum bona opera juſtificare, quatenus illa teſtatur noſtram reconciliationem, hæc verò teſtes ſunt noſtræ fidei, ſeu in foro conſcientiæ, ſeu coram hominibus? aut quid opus

opus eſt tam anxie deſudare contra Pontificios ut probetur ſolam fidem juſtificare, cum & bona opera propemodum ex æquo juſtificent, ſi utrobique, *juſtificare* ſit *teſtari, revelare, indicare?* at ſi utrobiq; *juſtificare* idem ſit quod peccata remittere, & imputare juſtitiam Chriſti; tum nec fides ſola, nec bona opera juſtificant, niſi fides, pro objecto fidei ſumatur. Deniq; hac methodo docendi Juſtificationem per fidem, nihil ſanius & clarius; nihil quod vim faciat intellectui & pugnet cum recta ratione; quod facit effatum *fides remittit peccata, aut juſtificat objectivè*, ad cujus intelligentiam, perinde ac diſſolvendum Peripateticum illud *forma educitur è potentia materiæ*, ingenio

ingenio Oedipi opus eſſet: neq; enim poſſibile eſt falſitatem aut veritatem propoſitionis diſcernere, cujus terminos, nec ſeorſim, nec ſimul intelligas, & in qua definitio obſcurior eſt definito.

1. An fides juſtos nos facit, vel propter virtutem & dignitatem objecti, vel per participationem virtutis quam objectum cum fide communicat? neutro modo capio fidem juſtificare: nam non poteſt res creata vim habere effectum producendi, qualis remiſſio peccatorum, quod ſoli objecto æterno & increato competit; quam tamen vim nec a ſe, nec ab objecto habere volunt. Sed neque fides juſtificat aut remittit peccata participatione virtutis, quam objectum cum

fide

fide communicat, nam tum fides formaliter juſtificaret.

2. An dicent fidem juſtificare quà Chriſtum apprehendit? Sed cum in Chriſto præcipuum beneficium quod apprehendimus ſit remiſſio ipſa peccatorum, conficietur fidem juſtificare ſeu remittere peccata, quia apprehendit remiſſionem peccatorum.

3. Forſan illud τὸ *apprehendere* juſtum reddit aut remittit peccata; quod cum ſit actus ſeu actio fidei ſe ad objectum Chriſtum moventis, ſitq; hic actus non primus & directus à Chriſto ad animam, ſed reflexus & ſecundus ab anima ad Chriſtum, quo actu recumbit in Chriſtum, & in ejus amore conquieſcit; quænam poteſt illa apprehenſio eſſe, præter

virtutem,

virtutem, actionem aut opus, quæ in credente inſint aut peragantur; niſi τὸ *apprehendere* idem ſit quod, credere? utrobique ſequetur vel qualitatem, actionem, aut opus quæ inſunt in homine peccata remittere; vel (ſi τὸ *apprehendere* eſt credere) fidem juſtificare quia eſt fides in Chriſtum; quod perinde eſt abſurdum.

4. An aliqua virtus influit in fidem à Chriſti Juſtitia, quæ virtus vim juſtificandi ſeu remittendi peccata imprimat fidei: at conſimilem vim ſuis operibus juxta affricant Pontificii.

5. Si dicant fidem eſſe inſtrumentum intrinſecum applicationis, eſt id quod volo, nam iſta applicatio eſt ipſiſſima fides, ſaltem actus ſecundus

dus veræ fidei,& fidei præcipua formalis ratio: nec per eam tamen homo juſtificatur aut juſtus redditur, ſed tantum ſe juſtum eſſe confidit: applicationem intelligo reſpectu hominis: nam reſpectu Dei applicatio idem eſt cum Imputatione Juſtitiæ.

6. Denique fides non eſt inſtrumentum remiſſionis peccatorum, niſi ſtatuatur cauſa efficiens, quanquam minus principalis, cur Deus remittit peccata: an cauſa æterna indiget inſtrumento temporario & fluxo,ad producendum æternum effectum? ſed mirum quod hocce inſtrumento indigeat Deus ut peccata remittat, cum ne terrenus Princeps opus hebeat, ut ſibi fides ſit apud damnatum capitis, cui per di-

ploma indulget ut vivat: quanquam ut vitalem vivat vitam, neceſſe ſit ei de veritate diplomatis conſtet; ſed nihil hoc ad actum Principis, cujus veniæ actus non ſuſpenditur ex cujuſquam fide; nec ad veniam dandam neceſſe habet, ut conditio aliqua in eo inveniatur: multò minus Summus Deus prærequirit fidem, aut eâ inſtrumenti inſtar utitur ad peccata remittenda. Hoc tamen Deus & Princeps intereſt, quod hujus veniam indultam, non ſemper pœnitentia ſequatur: at Deus, ipſo quod peccata remittit, eo fidem & cor novum creat. Sed id exempli quod præ manibus habeo naturam Juſtificationis per fidem probè exprimit. Statuamus miſerum in tulliano detentum, expectare prope-

propediem executionem horrendi carminis in caput ſuum detonati, & inter paucorum dierum moras advenire a Principe bonum Angelum ferentem gratiæ diploma: an ideo abſolutum ſe & ſupplicio exemptum reputabit, quia fidem adhibuit Principi? aut quis credat Principem abſolviſſe criminis reum per eam fidem qua credidit diploma non eſſe ſubleſtæ fidei?

In eam methodum, etiam quandoque aſſertores vulgaris ſententiæ delabuntur incogitanter. *Bucanus* loco 31. de Juſtificatione *qu.* 20. Subjectum juſtificationis facit electos ante conſtitutionem mundi: & *qu.* 17. materiam non præparatam, nempe impios & peccatores. Vide Urſinum Ca-

techeſi *qu.*60. Ubi facit duplicem applicationem. 1. Juſtitiæ Chriſti Imputationem reſpectu Dei. 2. Ipſum actum credendi reſpectu noſtri, quo certò confidimus obedientiam Chriſti a Deo nobis imputari & donari. Idem *quæſt.*61.dicit *nos ſola fide juſtificari, quia ſolo fidei objecto juſtificamur:* paulo poſt, *Fides correlativè intelligitur, ſola fide, hoc eſt ſolo merito Chriſti juſtificamur.* Quid? quod plures, etſi Urſino ὁμόφωνοι, in his *Kekermannus* duas faciunt Juſtificationes & Juſtitias, unam activam, alteram paſſivam, quæ improprie juſtitia dicitur, cum ſit tantum ſenſus activæ ejuſque receptio.

CAP. VII.

Objectionibus reſpondetur.

SOlus conſpectus eorum quæ attulimus, quaſvis objectiones diſſiparet: nequid tamen ad illuſtrationem gravis quæſtionis omittamus, ad eas etiam κατὰ λέπτὸν reſpondere juvat.

1. Objicitur, quod Juſtificatio poſtponatur vocationi, *Rom.* 8. 30.

Reſp. Meritò id fieri ſi Juſtificatio illic ſit declaratio & patefactio nos eſſe juſtos: non enim dubium eſt, quin Deus prius opus converſionis efficiat in nobis, noſque è tenebris ad lucem, è poteſtate Satanæ ad regnum Dei transferat,

quam plenè & cum πληροφορία cordibus insinuet & instillet, ad nos pertinere Christi Justitiam, nosque revera in regno Dei esse. 2. Sed etsi *Justificare* hic esset justitiam Christi imputare, & remittere peccata, nihil obstaret quod hic *vocare*, prius est quam *justificare*: neq; enim Apostoli in texendis Dei operibus, semper observant ordinem vel naturæ, vel temporis: Sic 1 *Corinth.* 6. *v.* 11. sanctificatio præcedit justificationem, & 2 *Thessal.* 2. *v.* 13. Sanctificatio Spiritus ponitur ante veritatis fidem: Quid? quod 1 *Timoth.* 1. *v.* 9. vocatio excipit salutis collationem, & 2 *Petri* 1. commate 10. vocatio præposita est electioni.

2. Objicitur illud Matthæi, *Hoc genus peccati, neque in hoc, neque*

neque in futuro ſeculo remittetur.

R. Vel Spir. Sanctum loqui & agere de miſericordia hic præſtita & in futuro ſeculo declaranda; ut interpretatur, *Cl. Reynoldus* prælectione 172, & 173. Vel quod probabilius eſt, loci ſenſum eſſe, punitum iri qui blaſphemat in Spiritum Sanctum, non modo in vita præſenti, ſed etiam die Judicii & in æternum: nempe peccatum ſumitur pro pœna peccati, ut alibi peccatum pro ſacrificio pro peccato, & *non remittetur in æternum ei*, idem eſt quod in æternum punietur. Jam qui punitur in æternum, eo ipſo jam exitio adjudicatus erat, ira Dei in eum recumbebat, adeoque peccata ejus antea retenta; pari ratione qua

fidelis glorificatio, certum eſt κριτήριον, ei pridem peccata remiſſa,& Deum illi ante reconciliatum fuiſſe, quam cœleſtis gloriæ compotiretur. Nam ut poteſt fieri ut blaſphemans non puniatur pro tempore, cui tamen Deus non remiſit peccata eo tempore; ſic poteſt fieri ut quo tempore Deus de eo ſupplicium ſumit, tum demum ira Dei in eum non recubuerit, ſed multò ante peccata ejus remiſſa non fuerint.

Et ſanè per ſolutionem iſtius objectionis, pariter concident præſidia ex tot locis Scripturæ petita, quibus aſtrui putant, actus remittendi peccata reiterari; Deumque peccata condonare omni vitæ tempore, etiam poſtquam homo verâ fide donatus eſt, ut non opus

ſit

ſit confugere ad explicationem ſuperius allatam, nempe Deum quotidie remittere peccata, quatenus ſenſum remiſſionis nobis indulget; aut cum rogamus quotidie Deum remiſſionem peccatorum, nos tantum rogare remiſſionis fiduciam & applicationem beneficii quæ fit per fidem, fideique incrementum: etenim cum in Scriptura ſacra fere ubique *remittere peccata*, & *punire* ſint oppoſita, planum eſt *remittere peccata*, & *non punire*; atque *punire* & *non remittere peccata* eſſe parallela; ac proinde probè dici, Deum per totam vitam hominis, ei remittere peccata, quatenus eum non punit; nec minus piè & propriè nos rogare Deum quotidie remiſſionem peccatorum,

quia per eam precationem rogamus, ut non demus pœnas, nec Deus nobis, quantumvis fidelibus, pares meritis infligat plagas. Si quando autem τὸ *remittere peccata* & *punire*, non ſunt oppoſita; quod fit cum τὸ *punire* non intelligitur de punitione in æternum, ſed de punitione temporaria propter particulare peccatum, quale fuit Davidis in Uriæ negotio; tum τὸ *remittere* peccata non idem eſt quod *non punire*; ſed ſignificat declarare Deum propitium & benevolum, & pœnas non exigentem in æternum: id docet hiſtoria Davidis, cui cum Nathan annunciaſſet, enorme peccatum à Deo remiſſum; per id intelligi voluit, Davidem non excidiſſe à regno, uti Saul, nec a favore Dei;

Dei, nec æternas ab eo pœnas repoſcere: at Deum non remiſiſſe peccata eo ſenſu, ut propter peccatum non puniatur in hac vita. Quocunque ſenſu, conſtitit Davidi ratio rogandi cum ejulatu & ploratu remiſſionem peccati, ſeu precatus eſt ſibi dari ſenſum favoris Divini, ſeu propter peccatum non puniri in æternum; ſeu etiam rogavit Deum, depulſionem pœnæ temporariæ.

3. Objicitur abſurdum eſſe juſtificari hominem antequam actu ſit. *Reſp.* Dei actiones & actus, etiam verſari circa objecta, quæ nondum ſunt, ſed futura ſunt, & habent eſſe cognitum ratione Dei, cui omnia opera ſua nota ſunt ab æterno, *Act.* 15. *v.* 18. ac proinde homines: exempli gratia, imputavit.

tavit Deus Chriſto omnium electorum peccata, qui erant, ſunt & futuri erant, ſimul ac in Mediatorem promiſſus eſt, utut, cum facta eſt promiſſio nondum homo eſſet: conſimiliter Deus imputavit Chriſti ſatisfactionem omnibus, quorum peccata in Chriſtum transferebat, ſive natis, ſive nondum natis, eoſque peccatorum imputatione liberavit, ac Chriſti Juſtitiâ induit.

Scharpii argumenta longo ordine producta, quibus probat ſolam fidem juſtificare, quanquam directè militent, contra Pontificios; quoniam tamen obliquè nos tangunt potius quam feriunt, eorum nonnulla ad examen revocabo.

Arg. 1. Promiſſio vel res promiſſæ non poſſunt niſi ſola fide

fide recipi, *Rom.* 4.16. *Galat.* 3.22. at remiſſio peccatorum, reconciliatio, Juſtificatio, ſunt promiſſiones: ergo Juſtificatio fit ſola fide. *R.* Id argumenti nihil aliud probare quam promiſſiones Divinas per fidem nobis innoteſcere, non vero fieri per fidem: neque enim promiſſio fit per fidem.

Arg. 2. Quo modo conſequimur remiſſionem peccatorum, eodem omnes juſtificamur; at ſola fide in Chriſtum conſequimur remiſſionem peccatorum. Minorem probat: quo modo Chriſtum apprehendimus, eodem modo conſequimur remiſſionem peccatorum, at Chriſtum Mediatorem ſola fide apprehendimus; ergo ſola fide conſequimur remiſſionem peccatorum. Se-

Secundi Syllogiſmi *major* negatur; neque enim eo modo conſequimur remiſſionem peccatorum quo Chriſtum apprehendimus: neque enim conſequimur, ſed apprehendimus remiſſionem peccatorum per fidem.

*Arg.*3. Per quod ſolum imputatur nobis Chriſti, Juſtitia; per id juſtificamur: at per ſolam fidem imputatur nobis Chriſti juſtitia, *Rom.*3.22.28.

R. Hiſce locis Paulum loqui de juſtitia Divina quæ per fidem, vel per Evangelii doctrinam revelatur: Sed de iſtis locis ſupra; verum, nec Scriptura ullibi dicit Juſtitiam Chriſti imputari per fidem; quanquam per acyrologiam & ſynecdochice non negarim poſſe dici juſtitiam Chriſti nobis

bis imputari fide, nempe quatenus per fidem Sp. Sanctus mihi teſtimonium perhibet juſtitiam Chriſti ad me pertinere; nam eo ſenſu etiam ſalutem conſequimur per fidem, & eligimur per fidem.

Arg. 4. Per quod ſolum habemus acceſſum ad Patrem, per id ſolum juſtificamur; at ſola fide in Chriſtum acceſſum habemus ad Patrem.

R. Illum acceſſum ad Patrem eſſe actum ſecundum fidei, qui poſt revelatum in nobis Chriſtum, ſpe, & amore in Deum fertur.

Arg. 5. Per id ſolum juſtificamur, per quod *Abraham* fidelium Pater juſtificatus fuit; at *Abraham* ſola fide juſtificatus fuit.

Reſp. Rigidos aſſertores Juſtificationis

ſtificationis per fidem, verba Apoſtoli hic Synecdochice interpretari, ut fides pro Evangelio ſumatur, aut pro ipſo Chriſto fidei noſtræ objecto: ſed cum verbum *credidit* teſte Calvino non reſtringendum ſit ad nudum actum credendi, ſed ad totum ſalutis fœdus & adoptionis gratiam, quam *Abraham* per fidem apprehendebat, nihil video ex hoc loco deduci poſſe, niſi adoptionem gratuitam, fuiſſe veram Abrahami juſtitiam, ut τὸ *credidit* hic ſit, *fœderatus erat*, aut *in fœdere erat*: quin *Calvinus* ad locum docet, *nos non aliter juſtitiam conſequi, niſi quia ejus poſſeſſionem fide quaſi cernimus*: nempe remiſſionem fide conſequimur, cum cernimus per fidem peccata à Deo miſericordi nobis eſſe

eſſe remiſſa: *Rivetus* Dialyſ. p.108. fidem ſumit pro fidei objecto,& Apologetico p.57. *Dicit Apoſtolus nos fide juſtificari, ſive fidem ad juſtitiam imputari, quia illud proprium eſt fidei objectum in materia Juſtificationis, quo credimus Deum accepta Chriſti ſatisfactione remiſſionem peccatorum nobis conferre,nobisq; reconciliari.*

*Arg.*6. Qui non juſtificantur niſi per fidem Jeſu Chriſti, illi ſola fide juſtificantur: atqui nullus juſtificatur niſi per fidem Jeſu Chriſti, *Galat.*2. 16. Ergo.

*Reſp.*Nihil inde confici,quam nos Juſtificari, vel per fidem ſeu objectum fidei, vel quatenus nobis innoteſcit Juſtitia Chriſti.

*Arg.*7. Quod Chriſtus dicit ſe

ſe ſolum requirere ex parte noſtri ad beneficia, & gratiam ejus recipiendam, id ſolum & ſemper juſtificat: at ſolum requirit fidem ad hæc recipienda, *Marci* 5.36. *Luc.*8.50.*Marc.* 9.20.

R. Chriſtum non requirere fidem ut juſtificemur, id eſt, ut imputetur juſtitia Chriſti nobis, ſed ut innoteſcat nobis, Chriſti juſtitiam ad nos pertinere: id enim quod recipit beneficia Dei, non eſt de juſtitia noſtra.

*Arg.*8. Per quod ſumus filii Dei & pacem habemus apud eum, per id ſolum & ſemper juſtificamur; at per fidem ſolam iſta habemus.

R. Eatenus nos dici filios Dei per fidem, quatenus fides dictitat nos filios eſſe Dei.

Gravior

Gravior objectio petitur ab Interceſſione Chriſti: nam ſi quotidie intercedit Chriſtus, ergo Juſtificatio nondum eſt peracta, nec fit uno actu. Reſpondeo, Chriſtum in cœlis repræſentare ſacrificium peractum, expiata peccata, & petere, ut admittantur fideles ad jus regni (non verò ut hæredes regni aut fideles fiant) & interim ut applicetur nobis vis & meritum mortis Chriſti; nempe jugiter ſatisfactio Chriſti ejuſq; obedientia, pretium redemptionis, ſic ob oculos Dei verſantur, ut nihil Deus nobis indulgeat niſi in earum gratiam: tum intercedit Chriſtus ut excitet in nobis ſuſpiria inenarrabilia, *Rom.*8.*v.*26. & preces noſtras & gratiarum actiones offerat Deo; quod

facit, gratas illi acceptaſq; reddendo. deniq; intercedit Chriſtus in eum finem, ut, qui per ejus ſatisfactionem juſti ſunt, in gratia conſerventur.

Cap. VIII.

Teſtimonia Theologorum non infimæ notæ.

Zanchium noſtrum eſſe in eadem ratione Juſtificationis per fidem tradenda, hinc patet, quod etiam admittat Sanctificationem quandam in electis antequam naſcantur: Is enim in *Ep.* ad *Epheſios*, cap. 2. v. 5. duplicem admittit vivificationem; unam, quæ ſemel facta eſt in capite noſtro Jeſu Chriſto, atque noſtro nomine;

mine; alteram quæ in hac præſenti vita quotidie fit: verba ſunt; *Utraque conſideranda nobis eſt, primum in Chriſto, deinde in nobis: ad primam igitur quod attinet, nos Deus in Chriſti perſona vivificat, quando per mortem Chriſti expiato peccato, omnes electos quotquot fuerant a condito orbe, & futuri erant in finem uſque, tanquam membra Chriſti in ipſo capite conſiderata, liberavit à reatu mortis infernalis, & donavit jure vitæ cæleſtis atque æternæ.*

Alſtedius in ſupplemento addito ad calcem operum Chamieri *p.*204. cum *Bellarminus* impugnaret ſanctitatem doctrinæ Proteſtantium, & proferret id dogmatis inter paradoxa paradoxotaton, nempe *me Juſtificari per fidem*, & tamen

men fidem juſtificantem, eſſe, credere me eſſe juſtum, quod, inquit *Bellarminus* cum ratione pugnat: Reſpondet *Alſtedius* inter alia, Chriſtum & electum eſſe inſtar unius perſonæ, & ideo electum juſtificatum eſſe in Chriſto originaliter coram Deo, & demum per fidem juſtificatum eſſe, cum fides inſtrumentum eſt per quod Juſtitia Chriſti percipitur.

Toſſanus Ep. ad Vorſtium, *Confundis Juſtificationem cum applicatione; omnes enim electi in Chriſto ſunt juſtificati, ſi meritum ipſius ſpectes antequam ſint nati; & ſic antequam credamus, ſumus juſtificati & in Chriſto redempti.*

Twiſſus diſertus eſt, & cum eo *Macovius*, eadem propemodum

modum quæ ille reponens: ſic enim *Macovius* diſput. 8. de Juſtificatione. *Deus Spiritu ſuo ſancto & fide neminem donat niſi juſtificatum: nam niſi Deus nos tam acceptos habuiſſet in Chriſto & propter Chriſtum, in nos propitius fuiſſet, non omnino nobis conceſſiſſet gratiam efficacem, qua in Chriſtum crederemus: ergo etiam ante fidem Deus nobis reconciliatus eſt; neque enim jam niſi reconciliatus & propitius gratificatur nobis fidem. Quæ jam dicta ſunt, lucem præferunt his & aliis phraſibus: non juſtificatur homo niſi per fidem in Jeſum Chriſtum. Credimus in Chriſtum ut juſtificemur* (Galat. 2.16.) *Ut ex fide juſtificemur* 3.v.24. *Harum enim phraſium ſenſus eſt: illa re quam fides appre-*

apprehendit, id eſt, ſatisfactione ejus pro peccatis, & merito ejus juſtificamur coram Deo; hoc eſt, fide cognoſcimus & ſentimus nos eſſe juſtos coram Deo, qui nobis remiſit peccata, jus vitæ æternæ contulit, propter ſatisfactionem Chriſti cruentam, & ipſius juſtitiam imputatam, & quo magis creſcit fides, eo magis etiam juſtificationis ſenſus, ſeu fructus uberior emergit, Rom. 1. 17.

Objicies, Scriptura paſſim docet juſtificari nos per fidem, ergo ante juſtificati non fuimus, ſed juſtificati demum, cum fide donamur.

Reſp. *Ex* Twiſſo: *Juſtitiam illam Chriſti pro nobis præſtitam ante fidem noſtram fuiſſe, ſed non poſſeſſione noſtram quoad ſenſum & aquitionem*

tanti

tanti beneficii, hæc enim agnitio per fidem oritur & emergit.

Idem Diſp. 10. *Homo prius Juſtificatur antequam fidem habeat; & dum per fidem dicitur juſtificari, per fidem, accîpere remiſſionem peccatorum & ſortem inter ſanctos; nihil aliud eſt quam per fidem cognoſcere ſe eſſe juſtificatum.*

Pemblus Anglus Vir admodum Reverendus & doctrina conſpicuus, in eadem ſententia eſt, opere ſuo de Juſtificatione, *pag.* 124.

Electi nondum converſi actualiter juſtificati ſunt, & liberati à peccati reatu per mortem Chriſti, & ſic Deus eos reputat & pro liberatis habet, & accepta ſatisfactione, actualiter illis reconciliatus eſt.

Georgius Walkerus unus ex

nuperis delegatis à civitate Londinenſi ad conventum Eccleſiaſticum, Presbyterianæ diſciplinæ rigidus defenſor, & Juſtitiæ Divinæ contra Johannem Godwinum Arminianum acerrimus propugnator, in ſua Catecheſi diſertus eſt.

Q. *Qua ratione electi juſtificantur, eorumque peccata remittuntur?*

R. *Juſtificatos eſſe, eorumque peccata remiſſa per fidem, non quatenus eſt inſtrumentalis cauſa & medium per quod conſtituuntur juſti coram Deo; ſed quatenus fides eſt manus animæ recipiens & applicans ipſis Chriſti juſtitiam, ut inde percipiant, ſentiantque ſe juſtos.*

Q. *An quiſquam poteſt juſtificari, antequam actualiter credat?*

R. *Si*

R. *Si accipimus juſtificationem in proprio & maximè principali ſenſu, quatenus eſt ſolius Dei actus communicans Chriſti juſtitiam & ſatisfactionem cum electis, tum fatendum eſt hominem, ante juſtificari, quam ullum credendi actum edat: quod patet in infantibus & nondum vocatis: aut exemplo nobilis pueri, qui quanquam jus plenum poſſeſſionis habeat, nondum tamen ſua bono novit.*

Si verò accipimus juſtificationem in ſenſu ſecundario, pro actu quo electi operas miſcent cum Deo, recipientes & applicantes ſibi ipſis donum gratuitum Juſtitiæ, poſſidenteſque; tum & credere actualiter, ut inſtrumentalis cauſa, per quam Deus eos juſtificat in ſenſu & interna perceptione, præcedit juſtificationem.

At si sumimus justificationem judiciario sensu & forensi, pro declaratione & probatione ac pronunciatione, tum non tantum τὸ actualiter credere, sed & τὸ pœnitere, omniaq; pietatis opera, debent anteire tanquam argumenta & testimonia, convincentia de remissione peccatorum.

FINIS.

Fragmentum Epiſtolæ, quæ cauſa fuit hujus diſſertationis.

NOndum de nova hac controverſia ſuper natura juſtificationis inaudiveram, dicam liberè, non eſſe tanti momenti, ut ob eam veſtræ Eccleſiæ debeant inter ſe collidi: nam ſi propius examinetur, plus in verbis quam in doctrina conſiſtit. Quidam dicunt fidem præcedere juſtificationem; alii contra aſſerunt Juſtificationem præcedere fidem: Meo judicio facile eſt diſſentientes componere, nam

prout fidei diverſi ſunt actus & motus, alii præcedunt, alii excipiunt Juſtificationem: fidei enim actus qui comitatur pœnitentiam, & quo Dei miſericordiam & remiſſionem peccatorum imploramus, & ad Chriſti mortem & juſtitiam confugimus, ſine dubio præcedit Juſtificationem. Sed ille actus fidei quo acquieſcimus in perſuaſione remiſſionis, ſequitur Juſtificationem & eſt effectus Spiritus ſancti, qui credenti obſignat promiſſiones Evangelii, & teſtatur ipſum eſſe filium Dei, & ipſi per Chriſtum eſſe condonata peccata, unde pax & tranquillitas conſcientiæ, *Rom.* 5. *Juſtificati per fidem, habemus pacem apud Deum.* Deinde, ut hæc lis inter vos componatur, neceſſe eſſet ſta-

tuere

tuere quid per Juſtificationem intelligatur. Noſtri Theologi agnoſcunt hoc Juſtificationis nomen eſſe forenſe, & in hac quæſtione ſignificare actum Dei Judicis quo impium & peccatorem in ſeſe,& iræ ſuæ obnoxium, ex mera ſua gratia propter perfectam Chriſti obedientiam fide acceptam pronuntiat juſtum, & abſolvit à peccatis. Hanc puto eſſe veram Juſtificationis definitionem,ut fere totidem verbis poteſt excerpi ex cap.3. *Rom. v.* 22. & ſeq. & hanc Juſtificationem in tribus diverſis temporibus appoſitè conſiderant. 1.In Dei decreto. 2.Cum actu Deus condonat credenti. 3. In vita futura,cum ſententia Juſtificationis in ultimo judicio pronuntiabitur. *Deus ipſius*

misereatur in illa die, 2 Tim. 1. 18. & Act. 3. 19. *Resipiscite & convertimini ut deleantur peccata vestra postquam venerint tempora refrigerii à conspectu Domini, & miserit vobis prænuntiatum vobis Jesum Christum*. De primo & tertio tempore nulla potest esse dubitatio, justificationem in decreto præcedere actualem fidem, & justificationem in die ultimo fidem sequi: Si verò Justificationem consideres ut actu peccatori credenti confertur, aliquid ut dixi præcedit, aliquid fidei sequitur Justificationem.

Sed quantum possum ex tuis verbis colligere, nullam aliam cum Domino *Twisso* videris agnoscere Justificationē, quam illam quæ in decreto, nimirum gratuitum illum Dei amorem

quo

quo nos ob æterno in Chriſto amplexus eſt, & quo decrevit nos propter ejus mortem & obedientiam à peccatis abſolvere, & videris improbare diſtinctionem tritam, decreti & executionis decreti. Tamen hæc diſtinctio mihi videtur optima, & proprie loquendo, decretum Juſtificandi non eſt Juſtificatio, ut nec decretum vocandi, vocatio, & differunt amor Dei gratuitus quo nos in Chriſto dilexit ante jacta mundi fundamenta, à Juſtificatione & vocatione, ut cauſa ab effectis, ſcaturigo à rivulis; & cum Scriptura ita diſertè hæc diſtinguat, *Rom.*8. *Quos præcognovit*, &c. in aurea illa catena, non ſunt ut mihi videtur confundenda: & quoties Scriptura loquitur de actuali re-

missione peccatorum, in qua ut ipse fateris consistit Justificatio nostra, ad duo tantum tempora refert, ad hoc seculum & ad futurum, *Matth.* 12. *Non remittetur, nec in hoc seculo, nec in futuro.* Et ratio etiam astipulatur, nam proprie remittuntur peccata quando possunt puniri & ei pœna relaxatur; atqui in hac vita tantum & futura possunt puniri. Ergo in his dùobus tantũ temporibus possunt remitti. Quod si peccata considerari deberent tantum ut remissa, & non ut remittenda, & fides ut ais nos justificaret tantum relative, & nobis revelando peccata nobis esse remissa; frustra Christus & Apostoli toties nos hortarentur, ut remissionem peccatorum a Deo peteremus, & fi-

delis

delis qui ſemel verum reconciliationis & juſtificationis ſuæ habuerit ſenſum, non amplius in poſterum opus haberet implorare Dei miſericordiam pro peccatis vel graviſſimis: An putas Davidem ante adulterium & homicidium non fuiſſe juſtificatum & verum Dei amoris ſenſum habuiſſe? ad quid ergo poſt nova illa peccata tot gemitus, tot lachrymæ? ſi quis tunc doctrina Twiſſi imbutus fuiſſet, nonne ipſi merito ſuggeſſiſſet, Stulte, quid gemis; quid miſericordiam & peccatorum lotionem imploras? nonne ſcis jamdudum omnia tua peccata eſſe deleta; & ſi tua eſſet vera ſententia, pœnitentia quæ ſequitur fidem, illa ſecundum Deum triſtitia, tremor ille & timor, cum quo

Apoſto-

Apoſtolus *Phil.* 2. vult nos perſequi noſtram ſalutem, non ſalutares & Deo gratæ eſſent ad ſalutem diſpoſitiones, ſed potius peccata fidei, imbecillitates, ineptæ de Dei amore & ſalute dubitationes: & ſi remiſſio peccati, eſſet tantum ſenſus peccati remiſſi, quare Scriptura nunquam nos hortatur ad hunc ſenſum petendum, ſed ad remiſſionem petendam? ſanè quando *Petrus* dicebat Simoni mago de ejus ſalute non deſperans, Reſipiſce ab iſta malitia tua, & roga Deum ſi forte remittatur tibi cogitatio cordis tui; non loquebatur de juſtificatione ut præterita, ſed ut futura.

Exiſtimo ergo credendum, Deum revera & proprie juſtificare fidelem & ipſi condonare

re peccata, quoties poſt veram pœnitentiam, & fidem in Chriſti meritum, ipſius conſcientiam de tali & tali peccato remiſſo certum reddit, ipſi dictans quod Chriſtus dicebat paralytico, confide fili, tibi ſunt remiſſa peccata: & toties actum Juſtificationis reiterari, quoties Deus per ſpiritum hoc miſericors conſcientiæ Judicium pronuntiat: cum enim ut diximus Juſtificatio ſit propriè judicium Dei quo credentem in Chriſtum juſtum pronuntiat per Chriſti juſtitiam; quare nolis Juſtificationem proprie nominare, hanc privatã, quam Deus unicuiq; fideli abſolutionis ſententiam pronunciat: & cum habeamus jugiter diabolum & conſcientias pro accuſatoribus, & Chriſtum pro advocato;

vocato; nonne neceſſe eſt ut etiam Deum habeamus Judicem, qui nos ab illis accuſatoribus abſolvat, ut ait Apoſtolus *Rom.* 8. *Quis intentabit accuſationem?* &c. *Deus eſt qui juſtificat.* Cum ergo Scriptura loquatur de Juſtificatione ut de re præſenti, & quæ jugiter nobis conferatur, & Deum nos in præſenti juſtificare, quare ſtilum Scripturæ faſtidimus?

Dices, in morte Chriſti noſtra peccata jam fuiſſe remiſſa, & Deum in Chriſto moriente fuiſſe jam nobis reconciliatum, & ejus ſacrificium pro ſolutione debitorum accepiſſe: ſed reſponſio eſt facillima, nam non ſunt confundenda impetratio ſalutis & remiſſionis peccatorum, cum ejus applicatione: & quamvis ij non ſimus qui

cum

cum Arminianis impetrationem ad plures quam applicationem extendamus; attamen certum eſt res eſſe & tempore & naturâ differentes: impetratio facta fuit per Chriſtum morientem ante ſedecim ſecula; applicatio fit quotidie per Spiritum ſanctum: Impetratio facta eſt in cruce, applicatio in corde fidelis; & ut aliud erat ſacrificium, aliud aſperſio ſanguinis ſub lege; ita ſub Evangelio, aliud eſt ſacrificium Chriſti per quod reconciliationem & juſtificationem nobis obtinuit, aliud eſt juſtificatio actualis qua Deus per Spiritū irrigat conſcientias ſanguine Chriſti. Quid? quod ſi in morte Chriſti noſtra peccata eſſent actu remiſſa, & nos actu juſtificati, quid jam nobis prodeſſet interceſſio Chriſti & præſen-

præſentatio ejus ſacrificii, an ut tantummodo haberemus ſenſum, ſuffeciſſet donatio Spiritus? Sed Scriptura de interceſſione Chriſti auguſtius & efficacius loquitur, & non tantum ad ſenſum, ſed ad veram & actualem juſtificationem refert, dicens, Chriſti ſanguinem meliora clamare, quam ſanguis *Abel*; & hunc ſanguinem eſſe ſemper recentem, & viventem, & quia Chriſtus ſemper eſt vivens & intercedat pro fidelibus, poſſe etiam plene ſolvere omnes qui per eum ad Deum accedunt.

Hæc differentia impetrationis ab applicatione & juſtificatione, patet ex diverſitate loquendi Scripturæ, nam cum de morte Chriſti loquitur, dicit Chriſtum eſſe mortuum pro inimicis

inimicis & peccatoribus; ſed cum de juſtificatione quæ eſt applicatio illius mortis, dicit Deum condonare peccata pœnitenti & credenti: nec ullum adhuc inveni locum in Scriptura quo dicatur peccata ullius eſſe remiſſa antequam credat, & juſtificari peccatorem adhuc impœnitentem. *Paulus* quidem *Rom.*4. dicit Deum juſtificare improbum, ſed eodem verſu dicit quis ſit ille improbus, ille nimirum qui credit in eum qui juſtificat impium, nempe impium in ſe, ſed juſtum propter Chriſti obedientiam fide acceptam. Dicit etiam Apoſtolus, *Rom.* 5. quum inimici eſſemus reconciliatos nos fuiſſe: ſed ibidem diſtinguit manifeſte reconciliationem quam obtinuimus in morte Chriſti, a ſervatione

ab

ab ira: Unde patet Apoſtolum per juſtificationem & reconciliationem intelligere impetrationem & acquiſitionem remiſſionis peccatorum: nam ſervari ab ira & abſolvi à peccato eadem eſt res prorſus, *Si cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus; multo magis reconciliati ſervabimur per vitam ipſius.*

Hinc patet quam parum ſit firma objectio Domini *Twiſſi*; fides eſt Dei donum & procedit à Deo propitio & pacato per Chriſtum, ergo eramus juſtificati ante fidem; nam eodem modo poſſet objici; vocatio ſalutaris, eſt donum Dei pacati per Chriſtum, ergo eramus juſtificati, antequam vocaremur, quod tamen negat Apoſtolus, *Rom.*8. quos vocavit eos juſti-

juſtificavit: ſed reſponſio eſt facillima; nam Deus pacatus in Chriſto moriente, illius reconciliationis effectus electis ſuis impertitur, poſt mille ſecula; eos ſuo tempore vocans & juſtificans.

Hunc ergo ordinem in œconomia ſalutis concipio quem docet Apoſtolus *Rom.*8. quos præcognovit, *&c.* nam Deus ab æterno ex mero beneplacito ex genere humano certos ſibi elegit quos ſervaret, pro illis Chriſtum miſit in mundum: illis per Chriſti mortem reconciliatus, ut ipſis ſalutem quam decreverat impertiretur, in tempore vocavit, ſalutari pœnitentia præcordia tangens: peccator pœnitẽs fide ad Chriſtum confugit; miſericordiam Dei implorat; Chriſtus interpellat

pellat pro peccatore: pretium ſacrificii offert: Deus pater exaudit; filii interceſſionem acceptat, & ejus intuitu condonat pœnitenti & credenti peccata; & hanc remiſſionem per ſpiritum cordi obſignat, unde fidei pax, gaudium.

His ſecundum Scripturam ut mihi videtur poſitis; non poſſum tuis conſentire poſitionibus, juſtificationem abſolute præcedere fidem, & fidem non eſſe de definitione juſtificationis, & fidem nos tantum juſtificare revelative; nam etſi non putemus nos juſtificari fide formaliter & meritorie, quaſi virtute ſua nos coram Deo juſtificaret, aut mereretur abſolutionem, aut ut docent Arminiani, Deus fidem acceptaret, ut obedientiam Evangelicam & imper-

imperfectam pro rigoroſa & exacta legis obedientia: attamen nos juſtificat, ut conditio Evangelica, ſine qua non juſtificaremur & ut inſtrumentum quo Chriſti mortem, virtute & merito cujus juſtificamur, nobis applicamus: fidem autem & pœnitentiam eſſe conditiones prærequiſitas ad juſtificationem & remiſſionem peccatorum ex Scriptura certo certius eſt, *Act.* 10. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum acceptarum per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum,* & *Act.* 13. *Notum ſit vobis, ab omnibus, à quibus per legem Moſis abſolvi non potuiſtis, per hunc quemvis qui credit abſolvi,* & *Rom.* 10. ut conditionem hanc legalem ponit, *qui hæc fecerit per*

ea

ea vivet; ex altera parte ad conditionem Evangelii ad Justificationem ponit, *si credas servaberis*. Quemadmodum igitur si homo priorem conditionem impleviſſet juſtificatus fuiſſet; ita etiam neceſſe eſt ut conditione Evangelicâ impletâ homo juſtificetur, etſi non illius impletionis virtute & merito. Hoc poſito haud dubium eſt fidem præcedere juſtificationem, in omni enim fœdere oportet ut conditiones fœderis perficiantur antequam quæ ſunt fœdere promiſſa conferantur: deinde nulla eſt vera pœnitentia ſine fide, atqui pœnitentia præcedit Juſtificationem, & eſt conditio neceſſaria ad condonationem peccatorum *Act.* 3. *Reſipiſcite & convertimini ut deleantur peccata veſtra*;

veſtra; adde, fides comitatur neceſſariò vocationem ſalutarem, atqui vocatio præcedit ſaltem naturâ juſtificationem: *Quos vocavit eos juſtificavit*, *Rom.*8. Ergo fides, *&c.* præterea Apoſtolus, *Rom.*3. docet diſertè objectum juſtificationis eſſe hominem credentem, *verſ.* 26. *Juſtificans eum qui eſt ex fide Jeſu.* Et propterea Juſtitia per quam juſtificamur vocatur *verſ.* 22. *Juſtitia per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt.* Unde patet te à vero aberrare, quando dicis fidem non eſſe de definitione Juſtificationis. Dico amplius, Etſi decretum juſtificandi præcedat actualem juſtificationem, attamen in decreto præcedere conſiderationem fidei; quia Deus decrevit condonare

donare peccata tantum pœnitenti & credenti: hoc docet Apoſt. *verſ.*25. dicens, *Deum propoſuiſſe Chriſtum placamentum per fidem.* Etenim Deus eodem ordine decrevit res exequi quo eas poſtea exequitur: atqui ſecundum Apoſtolum vocat antequam juſtificet, *Rom.* 8. Ergo & in decreto prius conſideravit hominem vocatum & credentem, quàm juſtificatum. Adde, ſi Juſtificatio præcederat fidem & pœnitentiam, Deus condonaret peccata incredulo & impœnitenti, contra Scripturum, *Qui credit in filium habet vitam æternam: qui non credit filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum:* Sed materia ſequax me longius abripit.

FINIS.